

BT
1445
.S35
1826

XVI.

Manuscript signed *Di. fl. biblis*,
Apr. of Sept. 1826.

THE
UNIVERSITY
OF CHICAGO
LIBRARY

H i s t o r i a
Paulicianorum Orientalium.

Dissertatio,

quam

ad summos in Theologia Honores
rite capessendos,

inter solennia millenaria religionis Christianæ
in Dania primum promulgatæ,

Die xxvi Maji MDCCCXXVI, Hora ix

in auditorio Domus Regiæ

publice defendet

Fridericus Schmidius,

*Præpositus honor. Antistes Parochiæ Himmelöv atqve Coenobii
Roeskild. nobilis, Eques aur. Ord. Danebrog.*

Respondente

Joanne Christiano Christierni filio,

Scholæ Cathedr. Roeskild. Adjuncto.

Hafniæ MDCCCXXVI.

Typis excudebat Andreas Seidelin,

Aulæ Regiæ et Universitatis typographus.

Dissertationem hanc inauguralem, non sine diligente fontium usu conscriptam, Facultas Theologica Hauniensis dignam censet, quæ pro summis in Theologia honoribus rite capessendis publicæ disquisitioni subjiciatur.

Hauniæ die 24 Aprilis 1826.

J. Möller,

h. a. Dec. Fac. Theol.



Inter sectas et factiones, quæ ab ipso fere rerum Christianarum exordio ad nostra usque tempora per vices sibi successerunt, non minimi momenti est illa, hic disquirenda, quæ a Paulicianis nomen trahit. Nostra imprimis, qui sequimur Sacra Ecclesiæ Evangelicæ, interesse oportet, penitus inspicere hujus sectæ historiam atque dogmata. In disciplina nempe Paulicianorum haud dubie quærenda sunt prima cymata Protestantismi tentamenque primum, auctoritatem Sacræ Scripturæ a commentis et decretis arbitrariis Hierarchiæ vindicandi, et religionem christianam, quoad formam saltem externam, ad simplicitatem originariam revocandi. Hoc quoque Romanos-Catholicos perspexisse, uti ex aliis *), ita etiam ex iis elucet, quæ at-

*) Vide Baronium T. IX Annal. ad Annum 810 p. 557.

tulit Jesuita Raderus in Dedicacione historiæ Petri Siculi, a se latine edita, Sebastiano Episcopo Adrumetino. Sic enim ille: "Compones eorum (Manichæorum) paradoxa sensa, sensu prorsus omni carentia, cum nostri ævi hæresiarchis, quos ut ex malis corvis mala prodiisse ova deprehendes. Quæ de cultu S. Crucis, cælestis reginæ et magnæ Dei Matris juxta ac Virginis veneratione, de sacrosancto et tremendo Eucharistiæ mysterio ex sententia Manetis, Sergii, Paullicianorum leges, eadem hodie in Lutheri, Calvini, Iconoclastarum, aliarumque hujus generis pestium dictis, scriptis sensibus hæere mecum recognosces;" et hos junctim ad inferos præcipites abituros ac, nisi meliorem illis mentem Deus injiciat, in idem Barathrum deturbandos, mente vere jesuitica significat. Gibbonius *) contra agnoscit, quod merito honore amplecti debeant Evangelici liberalem illius sectæ animum in veritate exploranda, additque: "in republica, in ecclesia, in monasteriis ipsis se tenuit occulta series discipulorum St. Pauli, qui Ty-

*) The History of the Decline and Fall of the Roman Empire Vol. X. Cap. LIV. Basel 1789 p. 64.

rannidi Romæ se opposuerunt, Sacram Scripturam ut normam fidei amplexi sunt, formulamque fidei suæ ab omnibus phantasmatis Theologiæ Gnosticæ liberarunt. Lucta Wicklefii in Britannia, Hussii in Bohemia, immatura et inefficax fuit; at Zwinglii, Lutheri, Calvini, gentium liberatorum magna nomina grato animo nuncupantur *)."

Quum vero nimis longum foret, Paulicianismum sequi ab incunabilis primordiisque ejus usque ad illud tempus quo — si singulas separatim ecclesias excipiamus — in Protestantismum effluxit, et quum mihi fors contingat, si hoc specimen probetur, temporis successu totam exarare Paulicianorum historiam, cui usui præcipuos apparatus colligere studui, hæc pertractatio circumscribitur *Primordiis, Dogmatibus et Fatis Paulicianorum orientalium*, cui disquisitioni accedit brevis contractusque *Conspectus sectæ illius per Europam propagatæ*.

Hoc argumentum, quod nobis quidem constat, antea non separatim unaque serie tractatum est. Gibbonius quidem uno tenore,

*) l. c. p. 79. sq.

at non plene descripsit historiam Paulicianorum. Hoc igitur tempore, quo lætissimi celebramus *Festum Mille Annorum* a promulgatione Disciplinae Christianæ in Dania elapsorum, non alienum videtur, propius inspicere eventus, quorum efficientia lætior, quo nunc gaudemus, status rerum christianarum fundatus multumque proventus est. Etiam hoc notatu dignum et regimini Providentiæ Sapientissimo insigni documento esse videtur, quod, dum Anscharius, etsi pia certo mente, attamen placitis sui ævi obstrictus, semen divini verbi, lolio superstitionis permistum, mille abhinc annis, in solo nostro patrio spargebat, jam eodem tempore procul in Oriente germinabat arbor, ex cujus ligno maturo fabricaretur ventilabrum, quo lolium istud, septimo inde sæculo evanneretur. Studii ideo, quantum in me fuit, colligere et in usum referre quicquid huic materiæ illustrandæ inservire potuerit. Quum vero per breve tempus et horas solummodo subsecivas huic operi elaborando impendere licuerit, imploro indulgentiam lectorum, si minus maturum opus hoc prodeat, quam quod alio rerum statu præstare forsitan contigisset, gratoque

animo occasione fruam, quam mihi suppeditabit hujusce materiæ publica disquisitio, ut errores qui irrepsere corrigam defectusque suppleam.

I.

Primum, age, indagare studeamus *Originem sectæ Paulicianorum ejusque progressus usque ad Carbeam.*

Antiquissimi et certissimi fontes, ex quibus hæc notitia hauriri potest, sunt Photius et Petrus Siculus. Photius, Patriarcha quondam Constantinopolitanus, morte perfunctus Ao. 891, libros IV contra Manichæos scripsit, quorum primus a Montfauconio latine editus continetur in Bibliotheca Coisliniana Paris. 1715 pag. 349 seqv.; totum vero opus edidit Jo. Christoph. Wolfius in libro qui inscribitur: *Anecdota Græca sacra et profana* cet. Tom. I et II. Hamburgi 1722. In his libris sectæ historiam descripsit Photius erroresque illius refellere studuit *).

*) Refutationem opinionis Casimiri Oudini (in Commentario de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis T. II. p. 204), libros IV. Metrophanis, Archiepiscopi Smyrnenis, contra Manichæos, ab Antonio Possevino in calce Ap-

Petrus Siculus vixit A. P. C. N. circiter Ao. 870, quo tempore ex imperio Basilii et filiorum Constantini et Leonis, imperatorum Orientis, Legatus Tibricam, Armeniæ civitatem, ut de captivorum permutatione ageret, missus est, causamque feliciter, ut ipse extremis narrat paginis, cum novem Tibricæ menses moratus esset, transegit. Legatio hæc secundo imperii Basilii et filiorum anno obita est *).

Ille testis oculatus de se ipso confitetur: *πολλὰκις αὐτοῖς (Παυλικιάνοις) διαλεχθεῖς, ἔ*

paratus Sacri p. 81 recensitos, eosdem esse cum commentatione Photii quadripartita vide in Præfatione Wolfii T. II. Anecd. græc.

- *) Verba Raderi in Observationibus ad Hist. P. Siculi intelligendam commodis. Ceterum suspicatur Raderus, illum Siculum fuisse quem Scilitza appellat Siculum Magistrum (in margine l. l.). Wolfius in Præfatione T. 2. hæc. habet de P. Siculo: Vitam ejus ex *Synaxario Græco* dedit Jo. Bollandus in *Actis Sanctorum Tomo 11 Februar. p. 610*, ex qua intelligitur, eum patria Constantinopolitanum miraculis claruisse invitumque ordinatum esse Argivorum Episcopum a Paulo Fratre, quem Episcopus Corinthi ordinaverat Nicolaus Patriarcha. Fortasse vita illa eadem est cum ista, quam in Biblioth. Heidelbergensi M. S. græce exstitisse tradit Possevinus l. c. p. 74, ubi *Petri Argivi* Episcopi Vita memoratur.

μὴν ἀλλὰ καὶ παρὰ πολλῶν ὀρθοδόξων κείσε
κατοικόντων ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτῶν μα-
θῶν *).

Quum vero Photius et Petrus Siculus
coævi fuerint et in enarratione historiæ Pau-
licianorum plurimum consentanei videantur,
dubitari potest, utrum ille ab hoc an hic ab
illo mutuatus sit. Illud statuit Montfauco-
nius **). "Pars maxima, inquit, narrationis
Photianæ ut plurimum desumpta videtur ex
historia de ortu, progressu et occasu Mani-
chæorum a Petro Seculo descripta." Wol-
fius ***) contra bene observavit: "Fortasse sic
statuendum fuerit, Petrum Siculum Photii
commentationem ante oculos habuisse in enar-
rando veterum Manichæorum historia et doc-
trina, deinde vero, ubi ad recentiorum res

*) Petri Siculi Historia (ex M. S. Codice Bibliothecæ
Vaticanæ Græce cum Latina Versione edita per Mat-
thæum Raderum e Societate Jesu. Ingolstadii MDCIV
p. 2. Hæc versio etiam inserta est in Biblioth. PP.
max. Lugdun T. XVI. p. 753 sq. Attuli et posthac
afferam textum græc. P. Siculi, cum interpretatio
Raderi et rarior et non semper accurata et fida sit,
quod secus est in interpretatione Photii, cura Wolfii.

***) P. 349 Biblioth. Coistin.

****) Præfatio Tom. I. Anecd. Græc. Pag. 7 seqv.

(nam et horum doctrinas eodem modo, quo Photius recenset) pervenerat, proprium fundum consuluisse." Rationes quibus hanc suam sententiam superstruxit nempe: minor in extrema narratione inter utrumque Scriptorem convenientia, quam quæ in limine et continuatione operis apparet; celebritas Photii et in scribendo peritia præ Petro Siculo; hujus promissa et peracta confutatio Manichæorum VI capitibus, quorum duo adhuc exstant in Bibliotheca Vaticana, ut Raderus §. 4. Præmonitionis suæ ad Siculi libellum ex Jac. Sirmundi fide refert — his Wolfii opinio satis suffulciri videatur.

Hos sequi duces tanto magis oportet, quum jam a Moshemio *) notatum sit: "eos esse præcipuos Paulicianorum Historicos, dum Cedrenus ex Petro Siculo sua sunsisse videtur et Recentiores qui de Paulicianis agunt, Petrus Baylius v. c. Dictionaire voce Pauliciens, Jo. Christoph. Wolfius Manichæismo ante Manichæos pag. 247 et alii a Bossueto sua maximam partem hausisse videntur, Histoire des

*) Institut. Hist. Ecclesiast. antiqv. et recentioris Libri quatuor Helmst. 1764 p. 312 Nota r.

variations des Eglises Protest, is vero fontes ipsos non adisse, et errores partium studio ductus committere voluisse videtur." Vestigia ergo illorum premendo, primordia et progressus Paulicianismi investigare et, quantum fieri potest, propriis eorum verbis compendio allatis, ita ut alter alterum illustret et suppleat, junctim et continenter exponere conabor, omissis tamen conviciis, quibus fervori suo Catholico laxamentum attulerunt.

Samosatis in Comagene Syriæ provincia Euphrati adjacente reliquæ Manichæismi diu se sustinuerunt. Huic sectæ addicta fuit mulier quædam Callinice (Καλλινίκη) quæ filios suos, Paulum et Joannem ejusdem disciplina imbuerat. Hi sectæ principes seu Hæresiarchæ divulgationem illius per Armeniam curarunt, vel, ut narrat Cedrenus *), mater eos misit, hæresin propagandi causa, in Armeniam, ubi vico Phanaria præsertim prosperum habuit successum, quare etiam unus e vicis circumjacentibus nomen tulit Episparris **). Ex prædictorum altero, cui Paulo

*) Georg. Cedreni Compend. Histor. Ed. Paris. p. 432 sq.

***) *Επίσπαρις* ab *ἐπισπέριω* dissemino.

nomen, vel, ut alii dicunt, a conjunctis fratrum nominibus originem traxit appellatio *Paulicianorum*, quæ est permistio quædam Pauli et Joannis *). Alii vicissim nomen illud derivant recentiore quodam Paulo Armenio, patre Gegnæsii et Theodori, qui imperante Justiniano 2do vixit **). Nomen *Athincano-*

*) Phot. L. 1. p. 5 et 6. P. Siculus p. 37 et 48. Παυλικιάνων Phot. l. l. p. 5. Coislinianus habit Παυλικιανών. "malim priorem flectendi rationem, quam et in Euthymio observatam vidi, et res ipsa commendat si ex duobus Pauli et Joannis nominibus eam appellationem conflata credamus. Interim diversimode hæretici illi apud veteres vocantur, quod pridem observavit Jo. Baptista Cotelerius ad Tom. 1. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ p. 738. b. nempe Παυλικιάνοι, Παυλικιάνοι et Παυλικιανοί, item Παυλιανισαί: videatur idem ad Tom. III. p. 638. Paulus ille, a quo nomen ferunt, ne cum *Samosateniano*, Sæculi III. hæresiarcha, confunderetur, a veteribus Μελανός i. e. *Nigri* cognomine insigniri solet, v. c. a *Timotheo* Presbytero CPolitano de receptione Hæreticorum T. III. Monument. Cotiler. et *Sophronio* Hierosolymitano Act. XI. Synodi VI. Παύλος ὁ μελανός κ. τ. λ. Ex quo intelligitur non confundendos esse utriusque factionis homines, quod usui venit *Theodoro Balsamoni* in Canon. Nicæn. 19^a Nota Wolffii (n) l. l.

***) Phot. L. 1 p. 75 (i): "Μανιχαίων ἔθνος. Recentiores illi, qui Pauliciani vocantur, quique non a Paulo illo et Joanne, de quibus l. c. sed a quodam Armenio, istis recentiore, nominis sui originem repetierunt,

rum (*Ἀσυχάνοι*) vel *Atinganorum*, quo a Cedreno et Weismannio appellantur Pauliciani, serius ortum esse videtur *).

Certa tamen desideratur significatio temporis, quo primi illi conditores Paulicianismi vixerint. Plurimi, Moshemius, Schroeckhius, alii septimo sæculo hos addicere videntur, ponentes eos, non diu ante restitutorem sectæ Constantinum floruisse. Ad Medium septimi sæculi Schroeckhius eos refert **), provocans ad Photium contra Manichæos L. I, p. 4 sq., ubi tamen nihil certi de hac re definitur.

majorum sc. exemplo, qui superioris ætatis doctores suos, quod ex §. 3 et 4 constat, recentioribus postponere eorumque inter se memoriam obliterare consueverunt. Interim notare hic fas est, videri hoc loco Petr. Siculum Photio abire, quando p. 48 (et 36) diserte Paulicianorum nomen a Paulo et Joanné, Callinices filiis, derivat." Hoc vero fefellit Schroeckhium qui (*Christliche Kirchengeschichte* 20 Th. Pag. 64) contrarium attulit.

*) Cedrenus l. c. p. 480. C. E. Weismanni *Introductio in Memorabil. Ecclesiast. Hist. Sacr. N. T. Stuttgartiæ* 1718 p. 675. Forsan spectat hæc appellatio ad bellicosam Paulicianorum sub Carbea et Chrysochere indolem, quasi *ἀσύγανος*: qui tangi non vult, noli metangere. — Gibbonius (l. c. p. 64) perperam nomen Paulicianorum a Paulo Apostolo derivat.

**) l. c. p. 365.

Moshemius *) solummodo notat in trans-
 cursu ad historiam Constantini, qui septimo
 sæculo vixit: "Legibus et suppliciis impera-
 torum oppressam et attritam factionem Con-
 stantinus quidam sæculo septimo sub Constante
 instaurabat." Exinde conjicere licet, eum
 statuuisse: plurimos annos præterlapsos esse
 inter primos hujus sectæ conditores ejusque
 reffectorem, etsi imperatores, sub quibus istæ
 leges editæ sint, non indicat. Photius vero,
 post enarrationem historiæ Manetis et primor-
 diorum Paulicianismi, pergit: "Elapso tem-
 pore, defectionis senatus ille alium sibi con-
 stituit doctorem, qui a parentibus Constanti-
 nus appellatus, cet." **). Itidem Petr. Si-
 culus, finita historia Manetis, addit: τινὲς δὲ
 τῶν μαθητῶν αὐτοῦ (Μάνετος) ἔφθασαν μέχρι
 Σαμωσάτης τῆς Ἀρμενίας, καὶ τὸν ζιζάνιον τε
 πονηρῶ ἐν αὐτῷ κατασπείραντες πολλοὺς τῶν
 ἐκεῖσε Ἀρμενίων ἠπάτησαν μετὰ δὲ χρόνου
 τινὰς τῆς κακίης σπορᾶς ἢ ῥίζα βλαψήσασα
 καρπῶ θανάσιμος τοῖς πολλοῖς μετεδωκε φθά-
 σασα καὶ μέχρι Φαναρίας. γυνὴ γάρ τις ἐκ τῆ

*) l. c. p. 311.

**.) Phot. L. 1 §. III p. 7.

Σαμωσάτης Καλλινίκη κ. τ. λ. *). Cum vero Manes capite plexus fuerit Ao. 278, si Petr. Siculum seqvamus, propagatio disciplinæ ejus et origo Paulicianismi ad finem III^{ti} vel initium IV Seculi referendæ esse videntur. Attamen quum dicat Manichæismum a Samosatis Phanariam usqve progressum esse, hunc cum Paulicianismo eundem habuisse videtur, et perperam Samosata in Armenia ponit. Si vero Photii enunciatum supra excitatum: "elapso tempore, cet." respiciamus, non diu ante Constantinum floruerunt Paulus et Joannes, qui nomen Paulicianis dederunt, et ad summam initio septimi Sæculi addicendi sunt.

Quum vero ita origo Paulicianismi obscuritate quadam prematur, conjicere licet, hunc, sub primis conditoribus stirpem tantummodo fuisse Manichæismi, et inde sub proximo restauratore Constantino per se novas radices jecisse atqve ambitu et stabilitate crevisse.

Constantinus ille Armeniæ indigena inhabitavit vicum Mananalim, non procul a Samosatis, ubi jam dudum Manichæi refugium

*) Petr. Siculus p. 36.

quæsierant, floruitque imperante Constantino (Constante II. Ao. 642-668). Heraclii nepote *).

Jam prius sectæ Paulicianorum addictus et a senatu defectionis doctor constitutus ille Constantinus, se tanto magis commotum sentiit, ut hanc, forsitan reformatam, propagaret, cum tecto et hospitio excepisset aliquot diebus Diaconum quendam ex Syriaca captivitate **) reversum, qui libros ex Syria duos secum retulerat, unum sancti Evangelii, alterum magni Apostoli (Pauli ***), quos in hospitii remunerationem dono ipsi obtulit. Nomen sibi sumsit Silvani ****), comitis quondam

*) Ao. 653 (Raderus in margine). Ἐγγονος habet P. S. p. 40. ἀπόγονος Phot. l. c. p. 61.

**) Cum Syriam eo tempore Arabes in ditione tenerent, ex horum captivitate Diaconum reversum esse, patet. Codex vero quem inde reportavit absque dubio fuit Versio vetustissima Syriaca Peschito. Textum incorruptum fuisse confitetur Phot. l. c. p. 9.

***) Παῦλον omittit et Phot. l. c. p. 62 et P. Sic. p. 40. De libris N. T. a Paulicianis receptis posthac disquirendum est.

****) Σιλβανός Phot. p. 66. P. Sic. semel, p. 44, vitio librarii, Σαλοάνης. De Silvano s. Sila, Pauli et Petri socio vid. Act. 16 et 17 C. 1 Thess. 1, 1. 3, 2. 2 Cor. 1, 19. 2 Thess. 1, 1. 1 Petri. 5, 12. Constantinus hanc cum Petro necessitudinem Silvani aut ignorasse, aut non vidisse probabile est.

ac adjutoris Pauli, pluresque admodum asseclas obtinuit hic Constantinus-Silvanus quam filii Calinicus. Hæretica sua dogmata scripto tradere non ausus est, et libros Manichæorum rejecit, utpote qui cerneret, Christianorum leges, eos, qui Apostasiæ libris utebantur, gladio subjicere, ipsos libros Manichæorum (et Montanistarum) igni absumendos tradere, eorumque bona in fiscum inferre. Suis vero discipulis injunxit, moribus et placitis, stricte sequi disciplinam ejus occultam ὄργια *). De hac re autem amplius tractandum est, quum de dogmatibus Paulicianorum agatur.

Postea Constantinus, Mananali vico relicto, Cibossam quæ castrum fuit Colonie **) vicinum, immoratus est. Hic ecclesiam instituit nomine Macedonum ad quos se finxit missum ab Apostolo ut ille Silvanus quondam,

*) De comparatione hæreticorum disciplinæ cum Orgiis Eleusinis aliisque Gentilium sacris apud Jren. Origin. alios, vid Wolfii Not. 5. p. 8. L. l. c. M.

**) Conditæ ut videtur a Pompeio post expugnationem Pont. Hæc Colonia prope Lycum supra Neocæsarcam a Turcis appellatur Coulei-hisar v. Chonac, urbs populosa terræ asperæ d'Anville Geographie ancienne T. 2. p. 34. Tournefort, Voyage du Levante Tom. III. lettre XXI. p. 293) Nota 11 Gibbonii l. c.

ostenditque discipulis suis Apostoli codicem, quem a Diacono acceperat.

Hoc vero functus munere XXVII annos, et magnam asseclarum catervam adeptus, misere periit. Imperator nempe Constantinus IV (Pogonatus Ao. 668-685) Palatinum quemdam Simeonem ablegavit cum mandatis, quibus sectæ caput lapidare, ejus vero discipulos per ecclesias christianas erudiendos et convertendos dispergere jubebatur. Simeon, Tryphone cum imperio et magistratu in illis oris versante sibi adjuncto, destinatum locum attingens, comprehendi omnes et in australem Coloniensis partem duci jussit. Hic Discipulis imperavit ut lapidibus obruerent magistrum. At recusavit manus jussa exsequi. Unus justus, a Constantino adoptatus, jussui paruit et, ut notavit Petrus Siculus (p. 44): δραξάμενος λίθον, ὡς νέον Γολιάθ, τοῦτον πατάξας ἀπέκτεινε. Acervus vel moles saxea, qua obrutus fuit Constantinus, adhuc videbatur tempore Photii et P. Siculi, locusque ille exinde nuncupatus est σωρὸς *).

*) Phot. l. c. p. 70. P. Sic. p. 44. Historiam Constantini Silvani habent Phot. c. M. L. 1, §. III, §. XVI.

Constantinum verum sectæ conditorem esse habendum, satis ostendit auctoritas quæ pollebat etiam Photii tempore. Sic enim hic: "Constantinum maxime celebrant et colunt*)." Elucet quoque æstimatio, quæ gavisus fuit, non modo ex veneratione et amore discipulorum quæ ipsum succumbentem sequuta sunt, verum etiam ex vi, quam exitus ejus cruentus exseruit in virum, qui internecionem hanc instituerat.

Simeon nempe, qui frustra ecclesiis commendaverat Constantini discipulos, quippe qui resipiscere nollent, ipse hæresi infectus, triennio deinde domi suæ privatim acto, clam excessit Cibossam, successorque fuit Constantini nomine Titi **) assumpto. Hoc evenit circa Annum 682 v. 683. Triennio iterum elapso, inter Justum, Constantini percussorem, et Simeonem orta est gravis disputatio de Pauli sensu in Epist. ad Coloss. 1, 16. 17, de qua plura posthac. Cum ex hujusmodi

p. 60—70. Petr. Sic. p. 40—44. Cedrenus Comp. p. 432. Schroeckh. 20 Th. S. 365 et 366. Gibbon l. c. p. 63 et 64, it 67—69.

*) Phot. l. c. p. 65.

**) Nomen illud ansam præbuit Petro Siculo (p. 46) Paranomasiam adhibendi: *τίτος* et *κῆτος*.

commotione lis et pugna implacabilis inter eos orta esset, Justus se ad Episcopum Coloniae confert, ut Apostoli dicti sensum clarius adsequeretur, omniaque de se sociisque et eorum disciplina liqvide exponit. Episcopus refert ad Justinianum Augustum (Justinianum II. Ao. 685, Raderus in margine) successorem *), qui omnes in unum cogi Manichæos seorsimque interrogari jussit, atque flammis tradi in errore pertinaces, inter quos etiam Simeon periit **).

Paulus vero supra memoratus, Armenius genere, cum duobus filiis Gegnæσιο ***) et Theodoro se fuga subducens in vicum Epi-

*) Sic Phot. l. c. p. 74: *Ἰουστινιανὸς ὁ μετὰ Ἡράκλειον τὴν βασιλείαν διαδεξάμενος*, et Petr. Siculus l. c. p. 48. *Ἰουστινιανῶ, τῷ μετὰ Ἡράκλειον βασιλεύσαντι*, etsi, historia teste, Justinus ille Constantino Pogonato immediate successit et regnavit Ao. 685-95 it. Ao. 705-710 cognomine Rhinotmetos. Petr. Sicul. quoque commemorat: rogum quo cremati fuerunt hæretici instructum fuisse ad *σωρὸν* (*πλησίον γὰρ τῆς σωρῆ πυρᾶν μεγάλην ἀνάψαντες*).

**) Historiam Simeonis et Justi narrat Phot. l. c. §§. XVI et XVII p. 68-74. Petr. Sicul. p. 44-48, Schirroeckhius l. c. p. 366-367.

***) *Γεγναίσιος* habet Phot. l. c. p. 75. Petr. Sicul. *Γεγνέσιος* p. 48, "ob similem τὸ *αι* et *ε* pronunciandi rationem" ut observavit Wolf l. c. Nota (f.).

sparim receptum habuit. Gegnæfium magistrum sectæ, nomine in Timotheum commutato, constituit. Contentio vero orta est inter Gegnæfium et Theodorum, qui divinam Spiritus gratiam accepisse ambo asseruerunt, et nunquam reconciliati fuere.

Leo autem Isaurus VII. Germaniciæ *) in Syria ortus, Gegnæfium aduri jubet eumque examini Patriarchæ Constantinop. subjecit **). Hic sex quæstiones, posthac afferendas ei proposuit, quas tam callide ambire scivit, ut innocens habitus acceptisque ab Imperatore formalibus literis Episparim reversus fuerit. Inde, postquam discipulos defectionis convocaverat, cum his Mananalim adiit, cui urbi nunc nomen dabatur Achajæ, quæ secunda inter VI. Ecclesias sectæ constituebatur. Ibi annos commoratus multos (*χρόνους* *ἰκανούς* Phot. et P. S.) pestilentiæ morbo ***),

*) Urbs Syriæ in provincia Commagene, Nestorii patria prope montem Amanum.

***) Dicit Photius de Leone Jsauro: *ἐκ ἔχων δὲ κρίσιν τὰ τοιαῦτα διεξευγᾶν*, insignitque Patriarcham nomine: *ἡρότων τὴν προεδρίαν λαχών*, l. c. p. 77.

****) Phot. l. c. *λοιμικῆ θανάτῳ*. Petr. Sicul. p. 50: *βεβῶνος*, quam vocem Raderus interpretatur: "foedus

qui eo tempore grassabatur; obiit, postquam annos circeter triginta sectæ præfectus fuerat. Mortuo Gegnæσιο, inter filium ejus Zachariam, ex occulta commixtione susceptum, et infantem projecticium ab eo acceptum nomine Josephum (cognomine caprarium, αἰπόλον, et scommatis istar Aphronetum) divisi sunt in factiones ejus discipuli et qui partes Josephi secuti sunt Philippensium ecclesiæ, tertiæ ordine, adnumerabantur. Causa dissensionis eadem fuit ac inter Gegnæσιον et Theodorum. Crescente odio, Zacharias, postquam Josephum lapidis usu fere necaverat, clam cum suis aufugere decrevit; at prope vicum (Episparim) ab Agarenis, suspicantibus eos ad Romanos transituros esse, insequutus, solus evadit, donec discipuli gladio perierunt. Ideo male audivit, se mercenarium, non pastorem præbuisse, et a quibusdam a magistrorum choro excluditur.

ingvinis tumor", cogitans forsan luem Veneream, eo tempore adhuc ignotam; at βεβών etiam ulcus v. carbunculum, generatim denotat, cui interpretationi adstipulantur etiam Photii verba: *De morbo grassante*. De Gegnæσιο et Theodoro vid. Phot. l. c. §. 48 p. 74—85. Petr. Sicul. p. 48—50.

Josephus vero, pedum velocitate Zacharia inferior, at calliditate et artibus superior, currum convertit perhibetque se in Syriam tendere, quo responso contenti Agareni, eum et asseclas ejus intactos reliquerunt. Hi Episparrim se conferunt ab incolis bene accepti, qui Josephum singulari honore tanquam Christi discipulum suscipiunt. Chricoraches (Κριχοράχης) vero, magistratum imperio, domum ubi erat Josephus obsidet et discipulos capit, ipse autem fuga elapsus in Phrygiam excessit sedemque fixit Antiochiæ Pisidarum. Ibi triginta annos integros *) moratus perhibet se esse Epaphroditum **) Pauli discipulum et ab eo ad eos missum. Vitam finivit in loco sub-

*) Mendâ typographicâ textus latinus Wolfii habet: "annos *quadragesima*. Text. græc. l. c. p. 93 habet *ἔτεσιν ὅλοις τριάκοντα*, et P. Sicul. p. 52: *ἐν ἔτεσι δὲ τριάκοντα*.

**) Epaphroditus, Pauli socius, in Ep. ad Philipp. 2, 25 appellatur: *ὑμῶν ἀπόστολος*, unde forsân concludere licet, Josephum spectasse Antiochiam Pisidarum ut ecclesiam Philippensium, etiam Paulicianorum; ceterum Episparrim quoque huic ecclesiæ adnumeratum fuisse, suspicari licet. Photii verba de Josepho: *ἦν δὲ αὐτῶ κρη) ὁ Επαφρόδιτος ὄνομα, κραταιῶς ἐλαθὲς ὅθεν εἰρηται*, Wolfius præferens lectionem Apographi Holsteniani: *ἐραστῆς pro ἐλαθὲς v. ἐλαστῆς*, interpretatur; "Epa-

urbano prædictæ urbis, cui nomen est Chor-
tociopium *).

De Baane, Josephi successore, ambigitur,
utrum hujus filius a muliere nupta, quæcum
in adulterio vixit, susceptus, an ejusdem mu-
lieris a discipulo quodam Josephi, quondam
Hebræo, proles **). Ceterum, quicquid de
hoc Baane amplius dicendum est, occurrit in
historia Sergii, cum quo maximam contentio-
nem habuit.

Hic Sergius, in quem et Photius et Pe-
trus Siculus summa acerbitate invehuntur,
patriam habuit Aniam vicum Sabiæ ***) urbi
proximum, patremque Dryinum (Δρυΐνον). Ju-
venis adhuc in fæminam quandam casu incidit
sectæ Manichæorum (i. e. Paulicianorum) ad-
dictam, cujus colloquio, posthac commemo-

phroditus dictus est, valde amatus a suis, unde appel-
latus est, sc. Epaphroditus, quod nomen hominem
venustum atque amabilem infert" Nota (x) ad Pag. 93.

*) Χορτοκοπίου Phot. l. c. Χορτοκοπεΐον Petr. Sic. p. 52.

***) Phot. l. c. L. 1, §. XX p. 94. Petr. Sicul. p. 52.
Hic vero Baanem prolem fuisse mulieris a discipulis
Josephi constupratæ narrat.

****) Vicus appellatur *Ανία* a Photio p. 95 et *Αννία* a P. Sic.
p. 54. *Jabia*, *Javia*, *Javium* urbs Galatiæ; vide Plin.
Hist. Nat. V. 32.

rando, in partes sectæ ductus est. Nomen Tychici *) sibi adsumsit, multasque urbes et regiones ab Apostolo Paulo olim invisas peragravit, quod ipsemet in quadam epistola gloriatur his verbis: ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ (μέχρι) δυσμῶν, καὶ βορρᾶ καὶ νότῃ ἐδραμον κηρύσσων τὸ Ευαγγέλιον (τῷ) χριστῷ τοῖς ἑμοῖς γόνασιν (γόνασι βαρήσας **). Quod etiam pro Paraclete sive Spiritu Sancto haberi voluerit, autumant Photius et Petr. Siculus, etiamsi hæc relatio non bene consentit præviæ de Tychico. Ex hac tamen contradictione ita se extricat Photius: "qui sæpe perfectioris in impietate initiationis discipulis se Spiritum et Paracletum esse jactitabat, rudiori multitudini se inter Pauli discipulos connumerabat." (Phot. L. 1. p. 111). Hoc etiam asserunt, discipulos ejus preces ad eum convertisse: ἡ εὐχὴ λέγοντες τῷ ἁγίου πνεύματος ἐλεήσει ἡμᾶς. Si vero hæc ut alia non odiose ficta sint, ita forsitan explicari possunt: Sergium post fata Martyris honore a discipulis suis ornatum

*) De Tychico Pauli adjutore v. Act. 20, 4. sq. Ephes. 6, 21 sq. Tit. 3, 12.

***) Phot. L. 1. p. 112. Verba in Parenthesi sunt P. Siculi.

fuisse. Hunc tamen arrogantius de se sensisse, apparet ex epistolis ejus huc afferendis: "Probationem fidei vestræ præscientes, vos commonefacimus, quod, sicut Ecclesiæ, quæ antea fuerunt, pastores et doctores suscepērunt, sic et vos lampadem lucidam et lucernam splendentem suscepistis: secundum id quod scriptum est: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit." Et paucis interpositis: "Nemo vos decipiat ullo modo. Has autem promissiones habentes a Deo, confidite. Nos enim persvasi in cordibus nostris scripsimus vobis, quod ostiarius et pastor bonus, et dux corporis Christi, et lucerna domus Dei ego sim, et vobiscum sim omnibus diebus usque ad consummationem sæculi." (Phot. L. I. §. XXI. p. 114 et 115. Petr. Sicul. pag. 65 hæc verba addit: "etsi enim corpore absum, at spiritu sum vobiscum. De cetero gaudete, perfecti estote; Deus pacis sit vobiscum)."

Ad Leonem quendam Montanum scribit: "Tu autem cave tibi, ne fidem divides indeclinabilem: quam enim accusationem habes adversum nos? Num aliquem circumveni aut superbe egi? Non potes dicere, et si dicas, testimonium tuum verum non est. Mihi vero

absit, ut te odio habeam: sed solum te oro, quemadmodum Apostolos et Prophetas suscepisti, qui quatuor numero sunt (sc. Evangelistæ), ita pastores et magistros suscipias, ne ferarum præda fias." Et alibi: "Prima fornicatio, qua ex Adanis circumdamur, beneficium est; secunda autem major, de qua dicit Apostolus: qui fornicatur, in proprium corpus peccat." (Phot. l. c. p. 116. 117. Fornicationem vocat secessum ab ejus dogmatibus). Epistolam ejus, a Photio prætermisam, de ecclesiis Paulicianorum, ita affert et commentatur Petr. Siculus: "Sed hæc duo, Ecclesiam quidem, quæ Corinthi est; condidit Paulus, eam vero, quæ est in Macedonia, Silvanus et Titus" (quibus verbis Macedoniam appellat coetum illum, qui Cibossæ erat; Constantinum autem et Simeonem, Silvanum intelligit et Titum) "Achaiam vero, inquit, lustravit Timotheus." (Achaia nomine Manalim designans, et Timothei nomine Gensium, qui revera Thymotheus, *Θυμόθεος*). "Philippensem Ecclesiam administravit Euphroditus." (Ille nimirum ex scorto natus Joseph Caprarius, qui reipsa potius Aphronetus, Philippenses vero appellat ejusdem

discipulos). "Laodicensem Ecclesiam ac præterea Colossensium docuit Tychicus." (Hic vero Colossenses vocat Argonautas *); Ephesios autem eos, qui Mopsuestiam, Laodicenses, qui Cynas incolunt, seu Canis regionem; hoc autem tres unum esse ait, et ab uno Tychico eruditos **).

Calliditatem Sergii in propaganda sua disciplina, quam caute et sensim recens initiatis concredebat, at provectoribus semper plenius, describit Photius l. c. p. 108 et 109. Ut homo neqvissimus pingitur et a Photio et a Petro Siculo. At ira et studium ex hac descriptione nimis elucent.

Inter Baanem supra memoratum et Sergium, qui plurimos illius asseclas ad partes suas traxerat, maxima exorta sunt dissidia. Baanes, se esse discipulum Epaphroditi (Justi)

*) Text. græc. P. Siculi habet *ἀργαύτας*; incolas Argai urbis Armeniæ.

**) Interpretatio Raderi p. 66 et 67. cf. Phot. l. 1. p. 15 et 16 ubi enumerantur VI. ecclesiæ: 1 Macedonia i. e. Cibossa 2. Achuja, i. e. Mananalis 3. Philippen-sium i. e. asseclæ Josephi 4. Lnodiendorum i. e. Ar-gaum. 5. Ephesiorum i. e. incolæ Mopsuestiæ. 6. Co-lossensium i. e. Cynochoritæ. Tres postremæ illæ ec-clesiæ adscribentur Sergio - Tychico.

jactitans, Sergium quasi novitium conviciis insectabatur. Sergius vero, qui moribus, quoad speciem saltem ut volunt osores ejus, impio adversario antecellebat, ita invaluit, ut apostasiam in duas partes scinderet, Baanitarum nempe et Sergiotarum, inter quas factiones post obitum Sergii, bellum intestinum esset eruptum, nisi Sergiota quidam Theodotus interneccionem suis adhortationibus impedisset.

Michael (Curopalates Ao. 811—13) et inprimis successor ejus Leo V. (Armenius Ao. 813—820) omnem operam impendebant, ut apostasia reprimeretur, asseclæ ejus ad ecclesiam catholicam revocarentur, et refractarii capite plecterentur. Ad hæc perficiendum missi sunt Thomas Episcopus Neocæsareæ et Paracondaces Præfectus, imperatorio decreto. At Cynochoritæ et Astatii, selecta pars discipulorum Sergii, conveniunt de cæde Legatorum, quam in Præfectum hi, in Episcopum illi, assumpto ex Astatii uno, perpetrant. Deinde Meletinam petunt, secundæ Armeniæ urbem, quam tunc Saraceni incolebant, quibus Armeras Monocherates imperabat. Hic profugis benigne acceptis Ar-

gaum oppidulum dat incolendum. Inde vicinias infestarunt prædatoriis incursibus, multosque Christianos in captivitate ductos ad disciplinam suam coegerunt amplectendam. Sergius tandem, postquam aliquo tempore cum transfugis versatus erat, ligna cædens in monte qui Argao imminet, ut ex iis asseres secaret, occisus est a Tzanio quodam Nicopolitano *) ascia ex ejus manibus extorta et ejus capiti inflicta **).

Annum fatalem Sergii ita indicat Photius: τρίτον καὶ τεσσαρακοσὸν καὶ τριακοσιοσὸν πρὸς τοῖς εἴ ἀπ' ἀρχῆς τῆς κοσμογονείας ἠνύετο ἔτος ***). Petrus Siculus vero: ἔτει τῷ ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἑξακισχιλιοσῶ τριακοσιοσῶ τρίτῳ ****), quam differentiam 40 annorum inter computationem Photii et Petri Siculi Wolfium fefellisse miror. Certius autem de-

*) Nicopolis, castellum v. urbs in Armenia minore, vide Phinii Hist. Nat. VI, 9.

***) De Baane et Sergio vige Phot. L. 1. p. 95—132, Petr. Sicul. p. 54—70, Schroeckhii l. c. p. 369.

****) Phot. L. 1. p. 132.

*****) A. C. DCCCXII scripsit Raderus in margine. At non meminit se jam ad hunc annum retulisse regium edictum ad Thomam Ep. et Præf. Paracondacem, et

finiri potest annus supremus Sergii, si indicia sequamur quæ Photius et Petrus Siculus alibi *) attulerunt. Ille nempe narrat: Sergium triginta quatuor annos impietati præfuisse et erroris certamen consumsisse, atque apostasiæ doctrinam floruisse a tempore, quo imperium moderabatur Irene. Petrus Siculus itidem: ἐν ὅλοις γὰρ τριακοντατέσσαρσι χρόνοις ἐπικρατήσας ἀπὸ Εἰρήνης τῆς αὐγέσης μέχρι Θεοφίλου τῆ βασιλέως, συνεσήσατο τὴν νῦν προῤ-σαν ἀποσασίαν. Uterque igitur computat defectionem Sergii ab anno primo Imperii Irenes, nempe Ao. 780 quo Leonem VI maritum suum veneno sustulit. Si huic anno addamus 34, habemus Ann. 814, quo Sergius peremptus fuit. Petrus Siculus, qui extendit tempus defectionis usque ad Theophilum (Ao. 829—42), cogitavit forsitan continuationem illius sub discipulis Sergii defuncti.

Inter hujus discipulos familiariores nuncupantur Michael Canacares **) et Joan-

paulo post dixisse: Sergium in Argao annos aliquot cum discipulis hæsisse. Ceterum confiteor, me nec scire nec indagare potuisse Æram, qua ista computatio nititur.

*) Phot. l. 1. p. 112 et 113. Petr. Sicul. p. 60.

**) Κανάκαρις Petr. Sicu. p. 70. Κανακάρης Phot. p. 133.

nes *), quibus adnumeratur Theodotus ille supra memoratus; post illos autem Basilius et Zosimus aliique complures, qui ab iis ipsis (παρ' αὐτοῖς λεγόμενοι Petr. Sic. p. 72) vocabantur comperegrini **). Hi populo universo, qui ad Argaum convenerat, post Sergii obitum, ejusdem et antecessorum instituta imperiti sunt, pari inter se honore multitudini praefecti. Attamen quosdam inferioris gradus constituerunt quos appellabant Notarios ***), quibus curam quandam et officium in Orgiis suis assignabant (ἔχουσι δὲ καὶ ὑποβεβηκότας μιερεῖς, νοταρίους ὀνομαζομένους. Petr. Sicul. pag. 72).

De Nicephoro quodam qui, nomine in Berzelidem mutato, Paulicianis addictus fuit, narrat Photius L. IV. p. 112 sp. Tom. II. Anecd. Wolfii.

*) Hos P. Sic. nuncupat (p. 72) τῶν μιερεῖς, quod verbum Raderus derivat vel a μιὰς et ἱερεὺς impurus, scelestus sacerdos, v. a. μιᾶς et ἱερεὺς consacerdos.

**) ὅς (μαθητὰς Σεργίου) καὶ συνεκδήμους τὸ ἠπατημένον πλῆθος ἐπονομάζουσιν. Phot. l. c. p. 133. συνέκδημοι una peregrinantes, comites. socii, Act. 19, 29. 2 Cor. 8, 19, ab aliis symmystæ. (ὡς μιερεῖς τινες).

***) Νοταρίους verbum a latina lingua mutuatum, scribas significans, de quibus plura posthac.

II.

Perlustrata historia Hæresiarcharum Sectæ Paulicianorum Orientalium, veniamus ad *Dogmata* ejusdem, quæ etiam apud Photium et Petrum Siculum quærenda sunt; quibuscum comparare juvat dogmata recentiorum Paulicianorum, quatenus illis consentiant, eisque lucem quandam adferre possint. Dogmata vero principalia, numero sex, quæ proposuerunt Photius et Petrus Siculus, etsi a Moshemio (Instit. Sæc. IX p. II §. 6) lucide sunt exposita, tamen lingua auctorum impertienda et exadversum, ut tanto melius comparari possint, ponenda censeo.

I.

Photius Lib. I. §. VI.

α.

Δύο μὲν ἀρχαὶς ὁμολογεῖσιν, ὡς οἱ Μανιχαῖοι. Φασὶ δὲ ἕτερον μὲν εἶναι Θεόν, τὸν ἐπεβράνιον πατέρα, ὃν καὶ τῆς τῆδε τῆ παντὸς ἐξουσίας ὑπερ-ορίζουσι, τῆ μέλλοντος μόνου τὸ κράτος αὐτῷ ἐγχειρίζουτες. Ἐτερον δὲ τὸν δημιρρ-

Petrus Siculus P. 16.

Πρῶτον μὲν γὰρ ἐστὶ τὸ κατ' αὐτῶς γινώρισμα τὸ δύο ἀρχαὶς ὁμολογεῖν, πονηρὸν Θεὸν καὶ ἀγαθόν· καὶ ἄλλον εἶναι τῆδε τῆ κύριου ποιητὴν καὶ ἐξουσιασὴν· ἕτερον δὲ τῆ μέλλοντος· καὶ τῆτό ἐστιν εἰς αὐτῶς πολλάκις ἐπισημειώσα-

γὸν τῆ κόσμου, ᾧ καὶ τὸ
 κύριος τῆ παρόντος αἰῶνος
 χαρίζονται. Καὶ τὰς μὲν
 ἀληθῶς ὄντας Χριστιανὸς Ῥω-
 μαίους a) οἱ τρισαλιτήριοι ὀνο-
 μάξουσιν· ἑαυτοῖς δὲ τὴν κλη-
 σιν, ἧς ἀλλότριοι παντελῶς
 καθεσῆκασιν, τῶν Χριστιανῶν
 περιάπτουσιν. Λέγουσι δὲ Πα-
 τέρα καὶ ἕδον καὶ ἅγιον
 πνεῦμα, λέξεις μὲν εὐσεβεῖς,
 ὑποβάλλοντες δὲ ταύταις τὴν
 ἐσχάτην ἀσέβειαν. Οὐ γὰρ
 ὡς ἡ τῆ Θεῆ καθολικῆ καὶ
 Ἀποστολικῆ Εκκλησίᾳ, ἔτω
 καὶ οὗτοι φρονεῦντες λέγουσιν·
 ἀλλὰ τὰς λέξεις ἐκείθεν ἀπο-

σθαι ἀσειότητος χάριν, ἐλευ-
 θερία θύταν αὐτῶν b), λεγό-
 μενον πρὸς τινα, ὁποῖος ἐσιν
 ὁ προσθιαλεγόμενος. εἰπέ μοι,
 Φησί, τί ἐστὶ τὸ χωρίζον ἡμᾶς
 ἐκ τῶν Ῥωμαίων; ἑαυτὸς οἱ
 ἄσπονδοι, καὶ ἀχρηστοί, καὶ
 ἀχάριστοι, καὶ ἀφιλάγαθοι,
 χριστιανὸς ἀποκαλεῖντες· ἡμᾶς
 δὲ τὰς ἀληθῶς ἐπωνύμως
 χριστῆ τῆ ἀληθινῆ Θεῆ ἡμῶν,
 Ῥωμαίους ὀνομάζοντες. Τῷ
 ἐθνικῷ ὀνόματι, τὸ κύριον
 ἀμεῖψαι πειράμενοι· ᾧ τιμῆ
 μᾶλλον ἡμεῖς καὶ ἀψευδεῖς
 χριστιανοὶ σεμνυνόμεθα, ἢ
 χιλιάδων καὶ μυριάδων χρυ-

a) Hanc appellationem conjicit Wolfius spectare domi-
 nium Romæ in res Christianorum per Episcopos suos,
 ut etiam Judæi hodie Christianos Romanorum (Ἰουδαῖοι)
 nomine vocant. Vid. l. c. p. 18. Not. (q). Nomen
 Ῥωμαῖοι adhuc dari Christianis Ecclesiæ Græcæ addictis
 ostendit Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς Ἐπαρχίας Φιλιππουπόλεως
 κ. τ. λ. ὑπὸ Κωνσταντίνου. ἐν Βιέννῃ 1819, Pag. 27 §. ιδ':
 Χριστιανοὶ τῆ ἀνατολικῆ δόγματος, ὅτινες καὶ Ῥωμαῖοι
 καλεῖνται." Rarissimi hujus libri notitiam et mutuatio-
 nem humanissimo æque ac doctissimo Müntero nostro
 acceptam refero.

b) Forte legas ἐλευθεριαζόντων αὐτῶν; vel ἐν ἐλευθερίᾳ
 ὄντων αὐτῶν. (Raderus in margine).

σπαρῶξαντες, δυσσεβεσάταις ἐννοίαις ταύτας ἐπιφημίζουσι, καὶ φασὶ προθύμως, ὡς ἀνάδεμα εἶησαν, ὅσοί μὴ πισεύουσιν εἰς πατέρα καὶ υἴον καὶ ἅγιον πνεῦμα, πατέρα ἐυθῆως ἢ τὸν παντοκράτορα καὶ ποιητὴν ἔρανθ' καὶ γῆς, ὄρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων ἀνακηρύττοντες, ἀλλὰ πατέρα φάμενοι τὸν ἐπεράνιον α) ἐπισυνάπτουσιν, ᾧ καὶ τὴν ἐξουσίαν τῆς ἔρανθ' τε καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ἑδαμῆ ἑδαμῶς ἐπιτρέψουσι. Τινὲς δὲ τῆ μὲν ἔρανθ' τὴν ἐπιστάσιαν αὐτῷ ἐγχειρίζουσι, τῶν δὲ ἐμπεριχομένων ἕκ' ἔτι. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον αὐτῶν τῆς δυσσεβείας τοιῶτον.

οἷα καὶ ἀργυροὶ καὶ λίθων τιμίων τῶν ἐν ὄλῳ τῷ κόσμῳ ὑπαρχόντων εἰ ἦν ἕκαστος ἡμῶν κύριος. λέγουσι δὲ τῷτο εἶναι τὸ χωρίζον αὐτῶς, ὅτι ἐκεῖνοι μὲν ἄλλοῦ Θεοῦ λέγουσιν εἶναι τὸν τῷ κόσμῳ ποιητὴν, καὶ ἕτερον Θεοῦ, ὃν καὶ πατέρα ἐπεράνιον λέγουσι μὴ ἔχοντα δὲ ἐξουσίαν ἐν τῷ κόσμῳ, ἀλλ' ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι· ἡμεῖς δὲ τοῦ αὐτοῦ ἕνα Θεοῦ ὁμολογῶμεν καὶ παντεργὸν καὶ παμβασιλέα καὶ παντοκράτορα· καὶ λέγουσι πρὸς ἡμᾶς, ὅτι ὑμεῖς, φησὶ, πισεύετε εἰς τὸν κοσμοποιητὴν, ἡμεῖς δὲ εἰς ἐκεῖνον, περὶ οὗ ἐν εὐαγγελίοις ὁ κύριος λέγει, ὅτι ἕτε φωνῆν αὐτῷ ἀκηκόατε ἕτε εἶδος αὐτῷ εὐράκατε (Joan. 5, 37) μα-

a) ἐπεράνιον forsan dicere voluerunt Deum *supracælestem*, ad quem sc. *cælum* ipsum et quæ in eo sunt, non pertabant pertinere. Vide Stephan. Clericum in *Qvæst. Sacris.* p. 300 sq. (Volfii Nota (5) p. 20 l. c. quod etiam confirmant verba Petri Siculi supra allata inajusculis typis.

ταύτως καὶ ἀνοήτως κενοφω-
νέμενοι, καθὼς ὕπερον δηλω-
θήσεται.

De hoc primo articulo Disciplinæ Paulicianorum Cedrenus (l. c. p. 434 sq.) tractat, additque: "Christianus cum Manichæo disputans, postulare ab eo debet, ut symbolum fidei recitet hoc: *Credo in unum Deum patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram, omnia quæ et videntur et visu non deprehenduntur.*" Patet etiam ex dissensione Simeonis cum Justo de Pauli sensu in Ep. ad Coloss. I, 16. 17, dogma istud valuisse quoque eo tempore. Sic enim loquitur Justus: "Ne forte ipsi decepti essent, sequacesque suos deciperent, non eundem factorem coeli et terræ, Deumque vere et Patrem Domini nostri Christi prædicantes; sed præter hunc alium quendam, quem Apostolica eloquia norunt" (Phot. L. 1. p. 73).

Primum illud caput hæreseos Paulicianorum etiam valuisse apud recentiores sectæ asseclas, cernitur ex Antiquit. Ital. Medii Ævi auctore Lud. Ant. Muratorio Tom. V. p. 93—94, ubi formulæ Albigensium, Bagno-

lensium et Concorretianorum, siglis A. B. C. sic recensentur: "Qvod duo sint Principia: unum penitus bonum, alterum penitus malum. A. et B. Qvod Deus bonus non creavit ista visibilia corpora. A. et B. Qvod tantum uni Deo non subjiciuntur omnia. A. et B. Qvod Deus bonus non est Creator omnium rerum. A. et B. Qvod Deus non facit nec fecit aliquid perituum A. B. C." Ibidem Pag. 150 ex Specimine Opusculi, qvod Gregorius quidam scripsit contra Manichæos qui Paterini dicuntur, circiter Ao. 1240, affertur: "Duos etiam Creatores, duo æterna Principia, duos Deos constituerunt, unum visibillum, alterum invisibillum. Dicunt tamen illi de Concorretio; qvod a Deo sunt creaturæ, id est, qvod fecit quatuor Elementa, et ex iis quatuor postea Lucifer disposuit creaturas quaslibet in suo genere, sicuti sunt. Alii vero dicunt, qvod nec materiâ nec dispositione nec formâ fecit Deus aliquid visibile. Et si quando concedunt fuisse visibilia, dicunt de illis, quæ sunt Angelis visibilia." Pag. 151 ex Specimine alterius Opusculi, qvod G. Bergomensis (Pergamensis) contra Catharos et Pasagios elucubravit circ. An. 1230 (in Bibl. Ambros.) hæc excitantur: "Hære-

ticus dicit; Deum omnipotentem sola invisibilia et incorporalia creasse: Diabolum vero, quem Deum tenebrarum appellant, visibilia et corporalia creasse. Addunt Hæretici: duo esse Principia, unum Boni, sc. Deum omnipotentem, alterum Mali, sc. Diabolum. Item: duas esse naturas, unam bonam incorporalium a Deo omnipotente creatam, alteram malam (sc. Diabolum) et mala corporalia a Diabolo fuisse creata. Capitulum Libri ejusdem primum agit: De Creatore visibilium, quem Paterinus a Diabolo, Catholicus a Deo esse dicit. Et de Unitate Dei. Sed Paterinus dicit etiam duos Deos duoque Principia."

Quid senserunt Pauliciani de Deo ἐπιφανίῳ, illustrat anathema XIX (J. Tollii Insignia Itinerarii Italici cæt. 1699): "Anathema iis, qui non dicunt, Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terræ omniumque quæ in ipsis visibilia sunt et invisibilia; verum tantummodo *Patrem coelestem, habentem solum futuri sæculi potestatem*: ac si præsens sæculum, totusque mundus ab eo factus non esset, verum ab adversario illorum, malo mundi principe."

Huc pertinent quoque quæ commemorantur in *Historia Inquisitionis Philippi a Limborch Amstel. 1692 p. 31*: Dogmata, quæ passim Albigensibus attribuuntur, nunquam autem Waldensibus, sunt hæc: "Duos esse Deos ac Dominos, benignum videlicet et malignum: creationem omnium rerum visibilium et corporalium non esse factam a Deo patre cælesti et Domino Jesu Christo, sed a Diabolo et sathana malo Deo, qui est Deus hujus sæculi, artifex *) et princeps hujus mundi", quod alibi ita exprimitur: "quod Deus non faciebat florere nec germinare" alibi: "Quod Deus benignus fecit omnia invisibilia et incorruptibilia, et quod malus princeps sc. Lucifer fecit omnia visibilia et corruptibilia ac etiam humana corpora." Alio in loco: "quod erant duo dei, bonus et malignus, et malignus creaverat omnia visibilia." Conferri debet quoque Vers. 14. Epistolæ spuriae Corinthiorum ad Paulum Apost. et ea quæ observavit La Croze in Fabricii Cod. Apocr. No. 7. P. 3. p. 666 sq. de similitudine hæresium Simonis et Kleobii cum Paulic. (vide *Nyt theol. Bibl. af Prof. J. Møller 5te B. S. 62—63*).

*) Latet in hoc verbo *δημιουργός* gnosticus.

Photius L. I. §. VII.

Βλασφημῶντες δὲ τὴν ὑπερ-
 αγίαν δέσποιναν ἡμῶν Θεο-
 τόκον, ἃ μῆτε γραφῆ μῆτε
 ἄκοῃ δεμιτὸν παραδῶναι, ἔ-
 πεφρίκασιν οἱ τρεῖς ἐκ ἀπαξ
 ἀπολωλέναι δίκαιοι λέγοντες·
 Πιστεύομεν εἰς τὴν παναγίαν
 Θεοτόκον, ἐν ἣ εἰσῆλθεν καὶ
 ἐξῆλθεν ὁ κύριος. Καὶ τοῖς
 ῥήμασι τέτοις τὴν ἄνω ὑπο-
 βάλλουσιν Ἱερουσαλήμ, καὶ φα-
 σιν ἐν αὐτῇ πρόδρομον ὑπὲρ
 ἡμῶν εἰσελθεῖν τὸν Χριστὸν,
 ὡς καὶ ὁ Θεὸς Ἀπόστολος α)
 ἔφη· ἔσθ' ὅτε δὲ συναυνο-
 μενοὶ διομολογεῖν ἐκ τῆς
 παρθένου προελθεῖν τὸν Χρι-
 στὸν, ἐπειδὴν ὅλως συναναγ-

Petrus Siculus P. 18.

β.

Δεύτερον· τὸ τὴν πανύμνη-
 τον καὶ ἀειπαρθένον Θεοτό-
 κον μὴδὲ καὶ ἐν ψιλῇ τῶν
 ἀγαθῶν ἀνθρώπων τάττειν
 ἀπεχθῶς ἀπαριθμῆσαι, μὴδὲ
 ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι τὸν Κύ-
 ριον, ἀλλ' ἐρανόθεν τὸ σῶμα
 κατενευγεῖν. καὶ ὅτι μετὰ
 τὸν τῆ Κυρίας τόκον, καὶ ἄλ-
 λες, φησὶν, υἱὸς ἐγεννησεν
 ἐκ τῆ Ἰωσήφ b).

γ.

Τρίτον τὸ τὴν Θεῖαν καὶ
 Φρικτὴν τῶν ἁγίων μυσηρίων
 τῆ σώματος καὶ αἵματος τῆ
 Κυρίας καὶ Θεῆ ἡμῶν μετά-
 ληψιν ἀποτρέψαι ἔ μόνον δέ,

a) Provocarunt procul dubio ad Galat. IV, 26. ubi ἡ ἄνω
 Ἱερουσαλήμ vocatur μήτηρ πάντων ἡμῶν. VWolf Nota (u)
 pag. 21.

b) Cf. Petr. Sicul. pag. 10: καὶ γὰρ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ
 τὸν Θεῖον αὐτῆς τόκον ἐν δοκῆσει καὶ οὐκ ἐν ἀληθείᾳ
 γεγενῆσθαι δογματίσθαι καὶ μετὰ τὸν Θεῖον τόκον ἄλλες
 υἱὸς ἐσχηκέναι ἐκ τῆ Ἰωσήφ.

κασθῶσιν, ἄνωθεν μὲν τὸ σῶμα συγκατενεγκεῖν αὐτὸν τερατολογεῖσιν, δι' αὐτῆς δὲ ὡς διὰ σωλήνος διεληλυθέναι, καὶ ταύτην τὴν ἄσπιλον καὶ καθάραν παρθένον μετὰ τὸν σωτήριον τόκον ἐτέρους υἱὸς ἐκ τῆς Ἰωσήφ παιδοποιῆσαι. Ὡσαύτως δὲ τὴν κοινωनीαν τῆς τιμίου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ τῆς θεῆς ἡμῶν μυρίαῖς ὕβρεσι πλύνοντες, ἀποδέχασθαι φασὶ σῶμα καὶ αἷμα, τερατολογεῖντες τὰ δεσποτικὰ ῥήματα, ἃ καὶ φασὶ μεταδίδόντα τοῖς Αποσόλοις εἰπεῖν· λάβετε, φάγετε, καὶ πίετε· ἀλλ' ἐκ ἄρτον ποθὲν ἢ οἶνον προσφέροντα. Καὶ τὸν ζωοποιὸν δὲ σαυρὸν δυσφημῶντες φασὶν αὐτὸν προσκυνεῖν καὶ ἀποδέχασθαι, σαυρὸν οἱ πλάστοι καὶ γόητες αὐτὸν ἀναπλάττοντες τὸν Χριστόν. Καὶ γὰρ αὐτός, φασὶν, εἰς σαυρῆ σχῆμα τὰς χεῖρας ἐξήπλωσε. Τὸν ἀληθῶς δὲ σαυρὸν, ἅτε δὴ ξύλον, φασὶ, καὶ κακῆργων ὄργανον, καὶ ὑπὸ ἄραν κείμενον, ἃ δὲ δεῖ προσκυνεῖν καὶ ἀσπάζεσθαι.

ἀλλὰ καὶ ἄλλες περὶ τῆτο πείθειν οἴεσθαι λέγοντες, ὅτι οὐκ ἦν ἄρτος καὶ οἶνος, ὃν ὁ Κύριος ἐδίδε τοῖς μαθηταῖς αὐτῆ ἐπὶ τῆ δείπνε· ἀλλὰ συμβολικῶς τὰ ῥήματα αὐτῆ αὐτοῖς ἐδίδε, ὡς ἄρτον καὶ οἶνον.

δ.

Τέταρτον· τὸ τὸν τύπον καὶ τὴν ἐνέργειαν καὶ δύμαμιν τῆς τιμῆς καὶ ζωοποιῆσαυρῆ μὴ ἀποδέχασθαι, ἀλλὰ μυρίαῖς ὕβρεσι περιβάλλειν, ἦν καὶ οἱ δαίμονες ἐν ἁέρι καὶ μόνον χαρραττομένην βλέποντες πρόμφω δραπτετεύσει, σὺν τῷ ἀρχηγῷ αὐτῶν τῷ διαβόλῳ.

Primum inter tria hæc capita, quæ separatim Petr. Sicul. junctim proposuit Photius, omnino gnosticam sapit doctrinam *). Car. Thilo quoque in Notis ad Acta S. Thomæ Apost. ex Cod. Paris. p. 136 observat: "Apparet Manichæos (senioris ætatis) vel potius Paulicianos, quos Gnosticorum propaginem esse opinamur, symbolice intellexisse narrationem de Jesu Christo ex virgine nato, ita ut hanc dici statuerent matrem vitæ spiritualis, τὴν ἄνω Ἱερουσαλήμ (Galat. 4, 26). Hæc igitur comparantibus vix dubitare licet, quin Valentiniani Acamotham Ἱερουσαλήμ nominantes eodem nomine usi sint ad significandum pleroma; præsertim cum constet, a Gnosticis, qui non prorsus repudiarent œconomiam Veteris Testamenti, res sacras Judæorum adspectabiles habitas esse pro simulacris κόσμου νοητοῦ cf. Iren. adv. hæc. 1, 18. Theodot. Excerpt. 27. Heracleonis allegorias apud Origenem in Joan. T. XI p. 181 et similia Clementis Alexandrini commenta, Stromm. V, 6."

*) Genetische Entwicklung der vornehmst. gnostischen Systeme v. Dr. A. Neander Not. 17 p. 86 in fine; it. H. A. Niemeyeri Comment. Histor. Theol. de Docetis p. 3 et 4.

Vestigia quædam hujus dogmatis etiam apud Paulicianos Occidentales reperiuntur. Sic enim habet Muratorius l. l.: "quod Christus non duxit carnem de coelo. A. et B. Quod Christus non est filius beatæ Mariæ. A et B. Quod Christus non sumsit carnem de beata Maria. A. et B. Quod beata Maria non fuit mulier A et B *). Quod Christus non fuit verus homo, non comedit corporaliter, non fuit passus in Cruce vel in Carne (ceteraque ad Docetismum pertinentia dogmata) A. et B." Pag. 150 l. c. in specimine operis Gregorii supra memorato, inscribitur Cap. 5: "De humanitate Christi, quam Paterinus *phantasticam* esse dicit, Catholicus veram confitetur. Cf. Epist. Corinth. ad Paulum Vers. 13 l. c. p. 69. Vide quoque Cedren: l. c. de Paulicianis: "dicunt: Credo in sanctissimam Deiparam, in quam intravit, et ex qua exivit Dominus. Hic verbis occulte notant Hierosolymorum urbem supernam." In libro Jac. Tollii Insignia etc. commemorantur quoque in Anathemate III. IV et Vto Dogmata Paulicianorum

*) Hæc sententia omni sensu carere videtur, si non ad symbolicam illam interpretationem de ἄνω Ἱερουσαλήμ refertur.

Docetica; it. in Anath. xx. "qui sanctam Deiparam Mariam contumelia afficiunt, ipsam vero honore se afficere simulantes, illam, quæ supra est, ἰλὺν (limum) quam intrasse et exiisse dominum ferunt.

Quæ apud Photium supra (cf. Wolf. Anecd. p. 30) et Petr. Siculum 3 Cap. (γ) narrantur de contemtione Sacræ Coenæ apud Paulicianos, confirmantur testimoniis Leonis M. de Manichæis Opp. T. I. p. 217 et Gelasii in Decret. De Consecrat. dist. 11 vide Thilo l. c. §. 26 p. 180—181. Cedrenus l. c. quoque affert: "Impie de divinis mysteriis sanctæ communionis percussi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi garrunt, dicentes Dominum verba sua Apostolis dedisse eaque jussisse accipere, edere ac bibere, non panem et vinum, quæ quidem etiam adhibenda negant." Et Moshemii Instit. Sæc. IX. C. v. §. VI sub. III. et Sæc. XI. p. 381 c. IV sub. II. De hæreticis quos convertit Gerhardus An. 1030. Muratorius l. c. habet: "Quod Sacramentum Altaris nihil est. A.B.C." Item Tollii Insign. l. c. Nota II: "jam diu ante Manetem fuere in Ecclesia qui ab Eucharistia abhorrent. S. Ignatius in Epist. ad Smyr-

næos." — De Baptismo tacet Petr. Siculus, et Photius (l. c. p. 29) habet: "imo etiamsi salutarem Baptismum respuunt, se tamen ipsum admittere simulant, Evangelii verba baptismatis voce subindicantes. Etenim inqviunt, Dominus dixit: *Ego sum aqua vivens*"; cui consentit quoque Cedrenus: "Pro baptismo habent verba Evangelii, quia Dominus dixerit se esse aquam vivam." Muratorius quoque l. c.: "Qvod baptismus aquæ nihil est et nullius efficaciam A. B. C."; item ex specimine Op. Gregorii Capitis 6 Titulus: "De baptismo aquæ et de baptismo puerorum, quem Paterinus damnat." Cfr. Mosh. Notam (b) ad Sæc. IX. P. II. C. v. §. VI.

Caput IV (δ) quod habet de Cruce confirmat Cedrenus l. c.: "Qvin et venerandæ cruci scelerate detrahunt, Christum esse crucem dicentes, neque adorandum esse lignum, execrationi deditum instrumentum." Anathema 20mum in Tolli Insign. ita exponitur." Item qui de veneranda cruce male loqvuntur etc." In Specimine operis Gregorii supra excitato Cap. B. inscribitur: "De Blasphemia Crucis, quam Paterinus facit, sed Ecclesia veneratur." Cfr. Moshem. Sæc. IX. P. II. C. v. §. VI. sub. IV.

Photius

Pag. 23 et 24.

Ἄλλὰ γὰρ καὶ τὰς ἱε-
 ρὰς Προφῆτας καὶ πᾶσαν
 τὴν παλαιὰν γραφὴν καὶ
 τὰς ἄλλας ἀποσρέφονται
 ἀγίας, ληστὰς αὐτὰς καὶ
 κλέπτας ἀποκαλεῖντες,
 μάλιστα δὲ τὸν κορυφαῖον
 τῶν Αποστόλων Πέτρον
 δυσφημῶσιν, ὅτι γέγονεν
 ἕξαρονός, φασί, τῆς εἰς
 τὸν διδάσκαλον καὶ Χρι-
 στὸν πίσεως (quæ se-
 quuntur alio et po-
 lemica de Manete et
 Petro, prætereo).

Pag. 27 in fine.

Καὶ τὰς πράξεις δὲ
 τῶν Αποστόλων καὶ τὰς
 καθολικὰς α) ἔ πάντες
 αὐτῶν συναρμολογεῖσι τοῖς

Petrus Siculus

Pag. 18 et 20.

ε.

Πέμπτον, τὸ μὴ ἀπο-
 δέχεσθαι αὐτὰς τὴν οἰαν-
 οῦν βίβλον παλαιὰν, πλά-
 νης καὶ ληστὰς τοὺς προ-
 φῆτας ἀποκαλεῖντες, κα-
 θὼς ὑσερον ἐν ἰδίῳ χωρίῳ
 ὀηλωθήσεται τελεώτερον.
 ἢ μόνον τὴν θείαν τῆ
 ἀγίας Εὐαγγελίας τετρακ-
 τῶν καὶ τὰς τῆ ἀγίας
 Παύλου τῆ ἀποστόλου δεκα-
 τέσσαρας ἐπιστολάς· καὶ
 Ἰακώβου καθολικῆν· καὶ
 τὰς Ἰωάννου τρεῖς· καὶ
 τῆς τῆ ἀγίας Ἰσίδου καθο-
 λικῆν· καὶ πράξεις τῶν
 ἀποστόλων, ὡς εἰσὶ παρ'
 ἡμῖν, ἀπαρράλλαντος ἐν
 λέξεσιν· ἔχει δὲ καὶ τῆ
 διδασκαλίας αὐτῶν Σεργίς
 ἐπιστολάς θεοσυγεῖς πά-

In margine.

Οὐκ οἶδα εἰ
 οἱ τότε ἐχρῶντο
 τῇ Ἰακώβου ἢ
 ἕτερα ἐπιστολῇ·
 καὶ ταῖς πράξεσι
 τῶν ἀποστόλων.
 οἱ γὰρ νῦν μό-
 νοις τοῖς δύο
 χρῶνται· εὐαγγ-
 γελίοις· καὶ
 μᾶλλον τῷ κατὰ
 Λουκᾶν, καὶ ἐπι-
 τοῦ ἀγίου Παύ-
 λου ἐπιστολῇ· ἔχει
 γὰρ καὶ πρὸς
 Λαοδικεῖς ἑτέ-
 ραν ἐπιστολήν α).

a) Hanc epistolam
 eandem esse ac
 Ep. ad Ephe-
 sios vide Hugh
 Einleit. in die
 Schrift des St.
 1 Th. C. 67.

a) Supra dictum est: πλὴν τῶν ἀναφερομένων εἰς τὸν κορυ-
 φαῖον· ἐκεῖνας γὰρ ὑδὲ τοῖς ῥήμασι παραδέχονται.

ἄλλοις, εἰσὶ δὲ οἱ καὶ συν-
τάττεσι. Ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν
Προφητῶν καὶ τῆς παλαιᾶς
διαθήκης, καὶ τῶν κατ' ἄν-
την λοιπῶν ἀγίων διαλαμψάν-
των καὶ τῆ κορυφαίου τῶν
Αποστόλων ἔτω μεμήνασιν. IX.
Καθολικὴν δὲ ἐκκλησίαν τὰ
ἑαυτῶν καλῶσι συνέδρια,
ἤνικα μάλιστα πρὸς τὰς εὐσε-
βεῖς λόγους καὶ συζητήσεις
κινῶσι. Καθ' ἑαυτὰς γὰρ
προσευχὰς a) καλῶσιν αὐτῶν
τὰ συνέδρια b).

Pag. 30 sq.

Επὶ δὲ τοῖς εἰρημένοις ἔδὲ
τὰς τῆς Καθολικῆς Εκκλη-
σίας πρεσβυτέρους, ἔδὲ τὰς

σῆς ὑπερηφανίας καὶ ἀσεβείας
μεσῶς. τὰς γὰρ δύο καθολι-
κὰς τῆ μεγάλης καὶ ἀκραιφ-
νῆς θεμελίε τῆς ἐκκλησίας
τῆ κλειδέχευ τῆς τῶν αὐτῶν
βασιλείας Πέτρος τοῦ πρωτα-
ποστόλου ἔ δέχονται, ἀπεχθῶς
πρὸς αὐτὸν διακείμενοι, καὶ
ὑβρεσι καὶ ὀνειδισμοῖς μυρίοις
περιβάλλοντες, οὐκ οἶδα ὅτι
συνιδόντες. τάχα δὲ, ὡς ἐγὼ
ὑπολαμβάνω, ὅπερ αὐτοῖς καὶ
πολλάκις κατὰ πρόσωπον εἶ-
πον, διὰ τὸ προφητεῦσαι αὐτῶν
τὸ μέλλον εἰς αὐτὰς ἔσεσθαι
ἐκ τῆς ἀνοσιουργοῦ αὐτῶν
κακίας ἰδίωμα, ἐν οἷς φησιν
ὁ μακάριος ἀπόστολος ἐν τῇ
δευτέρᾳ ἐπιστολῇ αὐτῆ c).

- a) Ad imitationem sc. Judaicæ et nascentis Christi Ec-
clesiæ, in qua hanc appellationem obtinuisse vel ex
Act. XVI, 13 intelligitur cu VWolf. Not. (l.) p. 28 l. c.
- b) Iterum omittuntur quædam, non ad Dogmata vel
Disciplinam pertinentia.
- c) Excitantur 1 Petr. III, 14—16. — Photius p. 26 incipit:
σπουδάσατε κ. τ. λ., omittit ἀδελφὸς ante Παῦλος; post
περὶ τούτων habet ἐν οἷς, P. Siculus: ἐν αἷς. Photius:
ερεβλώσιν, P. Siculus: ερεβλώσασιν. Uterque αὐτῶ
post ἐπιστολαῖς.

λοιπὸς ἱερεῖς ἀποδέχονται. διότι, φασί, τὸ κατὰ χριστὸν συν-
 ἔδριον οἱ ἱερεῖς καὶ πρεσβύτε-
 ροι τῶ λαῶ συνεστήσαντο. Τῶς
 μέντοι παρ' αὐτοῖς ἱερέων τά-
 ξιν ἐπέχοντας, ἔχ ἱερεῖς ἀλλὰ
 συνεκδήμους καὶ νοταρίους α)
 ἐπουνομάζουσιν. Οὗτοι δὲ ἔτε
 σχήματι, ἔτε διαίτῃ, ἔτε τινὶ
 ἄλλῳ τρόπῳ βίου σεμνότερον
 ἐπιτελοῦντι τὸ διάφορον αὐτῶν
 πρὸς τὸ πλήθος ἐπιδείκνυνται.

ζ'.

Ἔκτον τὸ τοῦς πρεσβυτέ-
 ρους τῆς ἐκκλησίας ἀποτρέπε-
 σθαι· φησὶ δὲ ὅτι οἱ πρεσβύ-
 τεροι κατὰ τῶ Κυρίου συνήχ-
 θησαν καὶ διὰ τῆτο οὐ χρῆ αὐ-
 τῶς ὀνομάζεσθαι, ψιλῶ τῶ
 ὀνόματι καὶ μόνῳ ἀπεχθάνο-
 μενοι.

Cum plurimis Gnosticis fecerunt Pauli-
 ciani in rejiciendis Libris Veteris Testamenti,
 ut jam observavit Moshemius ad Art. v.

- a) *συνεκδήμους* καὶ *νοταρίους* vid. ante p. cf. Wolf. Not. (r)
 p. 31. l. c.: "νοτάροι pro ταχυγράφοι. Deinde vox
 translata est ad scriptores publica auctoritate con-
 stitutos, sive illi Reipublicæ sive Ecclesiæ inser-
 virent. De prioris generis Notariis commentatus
 est Carolus du Fresne in Glossario mediæ Latinitatis
 suo loco, ac mediæ et imæ Græcitatibus p. 1004. De
 posterioris classis vero Henric. Valesius ad Socratis
 Hist. Eccles. L. V. c. 22. Ex hujus observationibus
 speciatim patebit, Episcopos ad manus habuisse eru-
 ditos adolescentes, qui et acta ecclesiastica exciperent,
 et, prout res ferebat, instar Lectorum, populo sacras
 Literas prælegerent. Atque hoc nomine Pauliciani
 illi sacerdotes suos Notarios appellasse videntur.

(Sæc. IX. P. II. C. v. §. VI.): "Cedrenus refert: "Vates quoque divinos et reliquos sanctos explodunt. Beatum Petrum, magnum illum Apostolorum principem, gravius reliquis omnibus et infamant et prorsus a se rejiciunt, negantes eum in ullam salutis partem venire." Ejusdem sententiæ fuisse recentiores sectæ asseclas, patet ex sæpius memorato Muratorio l. c.; "quod lex Moisis non est bona, nec Prophetæ A. B. C. Quod patres antiqui V. T. non salvantur A. B. C. Quod Vetus Testamentum non est a Deo bono" cet. ejusdem farraginis. Item specimen operis Gregorii Cap. 3.: "De Patribus V. T. et Scripturis eorum, quæ Catholicus approbat, Paterinus damnat."

Inter Libros N. T. quos Pauliciani ex auctoritate Photii et P. Siculi, rejecerunt vel neglexerunt, Gibbonius *) quoque numerat Apocalypsin Johannis. At confiteor me nulli hoc expresse enunciatum reperire potuisse. Et Photius et P. Sicul. omnino Apocalypsin prætermittunt. Ceterum, quæ a P. Siculo in margine ad Art. (ε) allata sunt, affatim

*) l. c. Nota 4.

ostendunt nihil certi definiri posse de Canone Paulicianorum, quum ipse ille testis oculatus ambigat, an Epistola Jacobi ab iis recepta fuerit necne. Photius etiam, ut supra vidimus, dubitanter de hac re loquitur. De Constantino-Silvano refert: "Decretum ponit, nihil ipsis esse legendum præter Evangelium et Apostolum (l. c. p. II). Exinde apparet non semper idem statuisse omnes Paulicianos de *ὁμολογουμένοις* et *ἀντιλεγομένοις* N. T. In hoc solummodo unanimes fuerunt, ut Petri epistolæ omnino repudiarent, etiamsi de genuina origine Imæ hujus Apostoli epistolæ nunquam in prima Ecclesia dubitatum fuit. Ratio, cur hæc facerent, a Photio allata, nempe dissensio inter Petrum et Paulum, vix unica valuit; aliam vero, forsan efficaciorē, posthac afferemus.

De regimine, forma et institutis Ecclesiæ inter Paulicianos, quæ habent Photius et P. Siculus, repetiit quoque Cedrenus (l. c. p. 435): "Concilia sua ecclesiam catholicam nominant in suis ad nos allegoriis: inter se enim a precibus ea proseuchas appellant." Eadem quoque in Occidentem secum transtulisse Paulicianos, elucet ex Muratorio l. c.:

"Qvod Ecclesia materialis non est bona, nec ibi orandum. A. B. C. Qvod non est orandum nec cantandum præter Dominicam orationem. A. B. C. Qvod in Ecclesia Dei non debent esse Sacerdotes et Diaconi, scilicet mali. A. B. C. Qvod mali Presbyteri non possunt ministrare. A. B. C. Qvod in Ecclesia non debent esse Subdiaconi nec Acoluthi. A. B. C. Huc quoque referendum videtur. Specimen operis Gregorii Cap. 15: "De Blasphemia Ecclesiæ et ejusdem humili defensione." Item apud Tollium Anathema 20mum in fine et 23tium.

De VI Ecclesiis Paulicianorum Orientalium supra dictum est. Commemorantur hæc quoque in Anathemate 18vo apud Tollium.

De simulationibus et fallaciis Paulicianorum, quæ Photius, P. Siculus et Cedrenus illis sæpius exprobrant, notitiam quandam affert examen, cui Patriarcha Constantinopolitanus Gegnæsius subjecit, quod huc tanto magis referri debet, quum dogmatibus supra memoratis lumen quoque adferre possit: "*Heus tu, dicebat Patriarcha, quare orthodoxam fidem negasti?* Respondebat Apostata, eum, qui orthodoxam fidem negaret, anathema esse,

orthodoxam vocans impietatem suam. Hinc altera proposita quæstione: *quare crucem Christi non adoras et amplecteris?* Ille pari malidictioni eum, qui vivificam crucem non adoraret, subiciebat. At ille Crucem vocabat ipsum Christum, qui manuum extensione crucem delineabat. Siscitabatur iterum: *cur Sanctissimam Deiparam debito honore et adoratione non dignaris?* ille, consveto sibi more, anathema dixit in eos, qui sanctam Deiparam non adorent; adjecitque se illam amplecti et colere, in quam ingressus, et ex qua egressus est Dominus noster Jesus Christus, eamque omnium nostrum esse matrem — — — supernam Jerusalem Deiparam esse confingebat simulabatque, in quam præcursorem pro nobis ingressum fuisse Christum, Apostoli verba prædicant. Quarta quæstio: *Cur immaculatum et tremendum Christi, Dei nostri, corpus et sanguinem contumeliis afficeret et respueret, neque ipse participare vellet?* Ille iterum eum, qui corpus dei dicit, anathemate feriebat, corpus et sanguinem intelligens non quæ Dominus noster corpus et sanguinem vocanda esse docuit, sed Dominica eloquia. De Catholica Ecclesia interrogatus, dum similia responderet, per

Catholicam Ecclesiam consessus Manichæorum intelligebat, ipsosque hoc honore afficiebat. Hæc seqvuta sexta de Baptismo interrogatio: *Num videlicet ipsum putaret esse purgationem animæ et animæ sordium ac lavacrum remissionis peccatorum.* Ille vero pari artificio alacriterque responsionem dedit, qva baptismum venerabatur et admittebat; at per Baptismi vocem ille, omnia miscens et confundens, Dominum nostrum J. C. subindicabat: scriptum esse enim, ipsum esse aquam viventem." (Photius l. c. pag. 78—82, cfr. P. Sicul. pag. 48 et 49).

Nunc vero exoritur nodus, cujus explanationem declinare vellem si auderem, quippe qui plurimis tricis impeditur, his nempe: utrum Disciplina Paulicianorum ex Gnosticis an ex Manichæicis derivanda sit principiis? De qva re nunc difficilius quidquam certi definiri potest, qvum differentia inter doctrinas Gnosticorum atqve Manichæorum, non adhuc, qvod sciam, ad liquidum perducta et accurate definita sit, qvamqvam doctissimæ prolusiones et eximia adminicula, quæ Moshemius et nuper præsertim S. V.

Neander *) nobis suppeditarunt, ad hanc disquisitionem perficiendam non desunt. In eo igitur hic subsistam, ut, veterum recentiorumque auctorum sententiis de hac re, in quantum mihi notæ sunt, expositis, meam qualemcunque opinionem modeste afferam.

Inter veteres rerum ecclesiasticarum scriptores, qui de Paulicianis tractant, omnes qui mihi noti sunt hos pro Manichæis habuerunt. Photius, etiamsi L. 1 p. 65 confessus est: "hodierni Manichæi Scythianum, Buddam et Manetem libenter anathemate feriunt", tamen l. c. p. 118 §. XXII. hæc habet. "Ceterum nemo putet, hunc impurissimum surculum ab alia, quam Manetis radice prodire." P. Siculus quoque (p. 42), ut Photius, asserit, Constantinum rejecisse Valentini Æones et Cubrici (Manetis) fabulam, attamen eum et assecclas pro Manichæis habet (ibid. et p. 68). Itidem Cedrenus l. c. pag. 431; Zonaras Tom. 2. pag. 156 Ed. Paris; Alexias Ed. Paris. 1681 pag. 451. Huic sententiæ quoque adstipulantur Scriptores recentioris ævi,

*) Genetische Entwickel. S. 87. 207, 5. 221. 274, 2. 333, 8. 336, 12.

Baronius; Annales Eccles. T. IX; Fleury, l'Histoire Ecclesiastique T. XV. p. 20; Bossuetius, Histoire des Variations des Eglises Protestantes T. 2. Livre XI l'ume; J. Beausobrius, Histoire critique de Manichée et du Manichéisme T. 1. Preface; Jo. Christ. Wolfius, Manichæus ante Manichæismum. Muratorius, l. c. T. v. Dissert. 60^{me}, uti p. 93 refellit narrationem de Armano Pungelupe Ferrariensi, "qui veterum Gnosticorum errores renovasse fertur", at ex ejus sententia ad Manichæos referendus est; J. C. Fueslin, neue und unpartheyische Kirchen- und Reßergesch. p. 12, 31, alibi.

Ex recentioribus Moshemius, quantum observaverim, primum advertit: "hanc sectam (ex ejus sententia) sobolem esse unius ex antiquis *Gnosticorum* familiis, quæ multis licet imperatorum legibus et suppliciis misere vexatæ, nunquam tamen opprimi et extirpari potuerunt" (Instit. Sæc. XI. P. II. C. v. §. VI. Not. a.). Hunc sequutus est Schroeckhius (Christl. Kirchengesch. Th. 20, S. 369, Th. 23, S. 333 sq.), H. C. Henkius (Allgem. Gesch. der christl. Kirche 2 Th. S. 39) Neander (l. c. S. 85 et 86). His accedit Henry Hallam Anglus, cujus Historiam Status Europæ medio ævo Ger-

manice interpretatus est B. J. T. v. Halem. Ille nempe (German. Vers 2 Z^{h} . p. 650 sq.) ad Manichæismum referre videtur Paulicianorum formulas de duobus principiis *), ad Gnosticisum vero quæ de corpore Christi coelesti et passionis experte docuere, etiamsi per totum librum de Paulicianis tractat nomine Manichæorum. Thilo quoque, ut supra vidimus, Paulicianos Gnosticorum esse propaginem opinatur; posthac tamen dicit (pag. 180 l. c.): "Fatendum est nos nihil explorati habere de secretiore Gnosticorum plerorumque et Manichæorum disciplina." Vide quoque Commentationem Hist. Theol. de *Docetis* auctore Herm. Agath. Niemeyero p. 48 et 49.

Ex supra allatis adfatim elucet, quantis difficultatibus involuta sit quæstio hic disquisita. Vero simillimum tamen videtur, pri-

*) Cf. tamen Handbuch der Christl. Kirchengeschichte von Joh. Ernst Christian Schmidt 1 Th. S. 299: Schon die Parthey, zu der Mani unter den Magiern gehörte, läßt vermuthen, daß er kein intelligentes Böses Urwesen, sondern nur eine ewige Materie als Quelle des Uebels angenommen habe. Epiphanius sagt auch ausdrücklich, daß die Principien, von denen er alles abgeleitet habe, Gott und die Materie gewesen seyen. (Epiphan. adv. hæ. LXVI.

mos illius sectæ conditores; Paulum et Joannem, a Samosatis, Manichæismi quasi Metro- poli, hunc in Armeniam præsertim minorem propagasse, intermixtis forsân placitis Gnosticis, quum amborum præterea doctrinæ mag- nam affinitatem habeant, tam ratione Dualismi et originis Mali, quam ratione Docetismi his superstructi. Quod contra, a Constantino usque ad Sergium — quorum opera secta re- fecta atque stabilita, formula doctrinæ ejus statusque liturgicus accuratius circumscripta fuere — libri Novi Testamenti, allegorice et mystice explicati gnosticisque commentis in- termixti, pro norma status ecclesiæ interni et externi valuerunt, hoc etiam intelligitur ex promptitudine, qua Pauliciani, ut supra vidimus, abdicarunt condemnaruntque Mane- tem ejusque antecessores, æque ac ex discri- mine quod intercedit inter illorum et Manetis disciplinam (vid. Moshem. l. c. Sæc. IX. P. II. C. v. §. v). Gibbonius quidem, qui etiam ag- noscit originem Paulicianorum Gnosticam, sta- tuere videtur (l. c. pag. 65). Evangelium et epistolas Paulinas solum fuisse normam fidei quam sequuti sunt; quod forsân collegit ex verbis P. Siculi (l. c. p. 42) de Constantino:

μη ἀναγινώσκεισθαι ἑτέραν βίβλον τὸ παρά-
 παν πλὴν τῆ Ἐυαγγελίᾳ καὶ τῆ Ἀποστόλου,
 quod etiam confirmat Photius L. I. pag. 11.
 At in eo certe modum excedit; nam Photius
 mox addit: "hoc decretum, elapso quodam
 tempore, magis anima, quam corpore periit."
 Nec bene congruit illa Gibbonii sententia cum
 iis quæ et Photius et P. Siculus afferunt de
 placitis Paulicianorum, præsertim de honore
 fere Apostolico, quo Sergii Epistolæ inter eos
 habitæ sunt.

Notam vero Manichæismi vel ideo Pau-
 licianis inurere maxime studuerunt Catholici
 sic dicti, quia hæresis illa, recentior Gnosticâ,
 hanc quodammodo oblitteraverat, vel cum ea
 permixta fuerat. Et, quum notissimum sit,
 nullos ex omnibus hæreticis tanto fervore
 tantaque crudelitate vexatos esse ac Mani-
 chæos*), non probabilitate caret, quod horum
 factioni Pauliciani ideo præsertim adscripti

*) Vide Decretum Theodosii Imi de Manichæis: "His-
 dem sub perpetua justæ infamiæ nota, testandi ac vi-
 vendi jure Romano, omnem protinus eripimus facul-
 tatem. Ex omni quidem Orbe terrarum, sed quam
 maxime ex hac quidem Urbe pellantur." Theodosii
 Cod. XVI, V, 7. 9. 18. (J. E. C. Schmidt Handb.
 d. christl. Kirchengesch. 2ter Th. S. 194.).

fuerint, ut odium in hos tanto magis ferveret. Confirmatur quoque hæc opinio, si respiciamus verba supra allata Photii et P. Siculi de ratione, cur Constantinus (specie solum et figmento, ut illi volunt) Manichæorum libros ablegaverit, nempe dira in Manichæos persecutio; quæ re etiam fulcrum quoddam suppeditari videtur conjecturæ nuper allatæ de placitis Manichæo - Gnosticis, quæ sola a Paulo et Joanne, sectæ conditoribus, promulgata sunt.

Id vero quod plurimum contulit ad pertinacem et sanguinolentam persecutionem, quæ premebantur Pauliciani, fuit, ni fallor, obstinatio quæ se opposuerunt illi Ecclesiæ Catholicæ sic dictæ ejusque Hierarchiæ, quæ suum imperium absolutum, jam tunc satis firmatum, imprimis Leone et Gregorio M. Pontificibus, magis magisque indies corroborare, omnibus impedimentis quoquo modo sublatis, studuit. Henkius, si recte viderim, hanc primum rationem acerbi odii in Paulicianos innuit (l. c. pag. 39), cui tamen addit odium in cultum Iconum his insitum, quamquam postea observat, eos quoque a Michaelē Curopalate et Leone Armenio, qui tamen huic

cultui omnino non favebant, graviter vexatos fuisse. Inde sequitur, alias exstitisse rationes cur tam acerbe affligerentur, inter quas, saltem quod Paulicianos Orientales attinet, consociatio horum cum Saracenis computari potest.

Quod autem maxime valuerit ratio nuper allata, oppositio nempe Paulicianorum absoluta contra Hierarchiam, tam quoad constitutionem formulæ fidei, Evangelicis et Apostolicis scriptis solum fundandæ, quam restitutionem Institutorum ecclesiæ christianæ primitivæ respectu ordinis doctorum, hoc luculenter satis patere videtur ex tota sectæ historia, inde a Constantino-Silvano usque ad Sergium, imo per omne tempus, quo viguit secta. Argumento est:

- a) Decretum supra memoratum Constantini de Evangelio et Apostoli scriptis tantum legendis, quæ eo tempore plurimis ignota fuisse suspicari licet, cum Constantino per Diaconum ex captivitate reversum primum nota fuisse videantur.
- b) Colloquium Sergii cum muliere quadam Manichæa, vel Paulicianorum sectæ ad-
dicta, quod hic, ad compendium con-

flatum, suo loco esse videatur: "Cur, inquit, divina non legis Evangelia? Ille, non licere, inquit, ei qui Laicorum ordinem impleret, sic impudenter tremendorum eloqviorum lectionem aggredi: illud enim Sacerdotum officium esse. Tum a furiosa illa muliere audit, frustra se tantam reverentiam exhibere; nullam enim esse personarum acceptio- nem apud Deum. Sed, ait, quod ita reverenter vos habeatis circa dominica eloqvia, non ad honorem illorum ita provisum est, sed illud est artificium et techna eorum, qui apud vos Sacerdotes dicuntur, qui verbum Dei adulterare volentes, curantesque, ne mysteriorum, quæ in Evangeliiis sunt, participes sitis, ideo vetant, ne perinde atque ipsi vos ea legatis. Siquidem ea, quæ vobis audientibus legunt, a tota serie detruncantes et dilacerantes, sic vos auditores intercipiunt. Iterum interrogabat: Quid significat dictum illud Domini: *Multi dicent in die illa* cet. Math. 7, 22. 23. Quinam illi sunt, quibus Dominus ait: *non novi vos?* Ille dubius silebat. Aliud dictum Evangelicum

proponerat mulier: *Multi ab oriente et occidente venient* cet. Math. 8, 11. 12. Qvos esse putas filios regni, et qvo modo ab hoc rejecti in tenebras exteriores abjiciuntur? Regni filii, inquit illa, qvi ab illo ejecti ad tenebras exteriores damnantur, ii sunt qvos et tu, et ii qvi tuæ sectæ sunt, sanctos vocatis et existimatis, qvi et dæmonas ejiciunt et morbos sanant, qvibus cultum exhibere soletis, uno vivente et immortalis relicto Deo. Hi sunt, hi, inquam, qvi a justo illo iudice audiunt: *Recedite a me, qvia nunquam novi vos.* (Phot. L. 1. p. 100-105 Cf. P. Siculus p. 56. 58).

- e) Pervicacia qva omnino rejecerunt utramque Petri Epistolam, licet prior illarum nunquam ante in dubium vocata fuisset; id qvod certe ideo tenuerunt, qvia præcipuum hoc fulcrum Hierarchiæ destruere, si fieri posset, vellent, qvippe qvi bene videbant, qvo tenderet illa præeminentia Petri Apostoli, qvam non modo Occidentalis, verum etiam Orientalis Ecclesiæ Clerici tantum urgebant. Qvare Photius, P. Siculus, Cedrenus gravissimis objur-

gationibus indicant, quantum hanc apostasiam indignentur, et semper Petrum nomine Κορυθαίς insigniunt.

d) Aversatio, quia cultum Mariæ, Crucis, Iconum semper contemplati sunt.

e) Gratia, aut saltem lenitas, quam Nicephorus Imperator sectæ huic exseruit. Quare etiam male audit a Cedreno, qui ita eum describit: "Fuit (Nicephorus) etiam summo studio deditus Manichæis iis, qui nunc Pauliciani et Athincani dicuntur, per Phrygiam et Lycaoniam degentibus et sibi vicinis (inde enim ortus erat) oraculis eorum et sacrificiis gaudens. Illi ergo ipso imperante licentiam nacti suo more vivendi, multos futilis ingenii homines nefariis suis opinionibus infeecerunt. Fuit enim in exteriori columella Nicolaus quidam falso eremitæ nomine præditus, qui cum suis sociis veræ religioni et venerandis imaginibus impie obloquebatur. Eos imperator amplectens patriarcham aliosque pios urebat (ἐλύπει). Itaque in eum sæpe indignabundus patriarcha invehebatur. At Nicephorus magnum ex mutuis odiis percipiebat gau-

dium: utque erat divinorum, eversor mandatorum, ludibrio habebat omnes proximum suum diligentes Christianos. Duces quoque exercituum jussit episcopis et clericis mancipiorum loco uti, pro sua auctoritate in ædibus episcopalibus et monasteriis divertere, eorumque rebus pro arbitrio abuti. Vituperabat eos, qui ab omni ætate Deo aurea vel argentea vasa consecrassent; et res templorum sacras in profanos debere usus converti statuebat. *Omnes ante ipsum Imperatores ut gubernandi nescios culpabat, providentiam in universum tollens, æstimansque neminem Imperatore potentiozem esse, modo callide is imperaret.*" (l. c. p. 480). Hic vero modus rei gerendæ forsan ita explicari potest, quod bene vidit Nicephorus quomodo Hierarchia jam se sustulisset magisque indies minaretur se tollere supra Rempublicam ejusque caput summum, dum cæteri Imperatores, Paulicianorum persecutores, eo adducti sunt, aut Orthodoxia, ut Alexius qui acerrimus fuit disputator theologicus, aut quia potentiam Hierarchiæ timuerunt atque,

quantum hæc illis opus esset, intellexerunt.

De statu morum sectæ difficile est iudicatu, quum de hac re paucae admodum et incertæ habeantur relationes, et æquum non esset, ratas habere criminationes adversariorum, partium studium redolentes et sordidis conviciis plenas, quod satis persvasum habebit, qui perlegat Photium L. 1. p. 33, ubi foedissima maleficia in sectam generatim conjiciuntur, et P. Siculum p. 62, ubi Sergius criminibus cumulatur.

III.

Nunc accedimus ad *Fata suprema Paulicianorum in Oriente* et præclara facinora, quibus claruerunt, ducibus cordatis Carbea et Chrysochere, usque ad tempus, quo, hoc cæso, illi bello devicti et omnino sub jugum redacti, Asiaticas relinquere sedes cogebantur.

De Carbea fusius, de Chrysochere paucis agunt Photius et P. Siculus, quum hic adhuc floruit eodem tempore quo scripserunt illi, et Petr. Siculus, regnante Chrysochere et vivis adhuc Basilio et Zosimo supra com-

memoratis, Tibricam missus fuit captivos permutandi causa. Ex historia Cedreni et Zonaræ ideo supplenda sunt quibus illi carent.

Inter centies mille victimas cruentæ persecutionis Paulicianorum sub imperio Theodoræ, annis pupillaribus Michaelis filii regnantis, ceciderat quoque pater Carbeæ in palum affixus. Hac crudelitate filius, tunc Theodoto Melessino Orientalium præfecto inserviens, protomandatoris officium gerens, commotus, profugus cum V millibus Paulicianorum ad Amerum venit. Ab hoc bene acceptus, paulo post Romanorum ditionem invadit et urbes condit Argaum, Ameram posteaque, propter confluum Paulicianorum a persecutione residuorum, nec non insidias et invidiam Saracenorum evitaturus (Photius L. 1. p. 136) Tephricam *). Ex his urbibus, cum Amero et Alimo, Tharsi præfecto, conjunctus, frequentibus Romanorum ditionem incursionibus et populationibus vexat. Alimo autem bello peremto, Amerus, postquam collegam rebellantem Scleronem devicerat,

*) Hodie *Diorigni* inter montes *Siwæ* et *Trebizondii*.
Vid. Otterii *Voyage en Turquie et en Perse* T. 2do.

cum Carbea se conjunxit, omnesque copias in Romanos duxit. His obviam ivit Petronas, Theodoræ frater, Tracensium dux.

In prælio ad Samosata commisso, ex quo puer Michaelis ejusque tutor Bardas ægre elapsi sunt, summam Carbeas exseruit virtutem, qui non modo multos militum obscuros dejecit, sed et haud pauciores centum de illustribus ducibus atque turmarum præfectis vivos cepit, qui deinde, numerato redemptionis pretio, dimissi sunt. Huic narrationi Cedreni (l. c. p. 544—42), quam, partim propriis ejus verbis, partim compendio excitavi, addenda sunt pauca de illo ex Photio sumpta, præcipue de ingenio et indole ejus, quam sic describit: "Vir ad subornandam plebem acutus, callidus ad ea occultanda, quæ efferre par non erat, et ad alia persuadenda quam quæ in corde latebant, nullam revera tenens fidem, quippe qui Arabum religionem se admirari simularet" (L. I. p. 134—35. Et post-hac: "Quum enim antea vicinos haberent (Pauliciani) Saracenos, eorum simul ritus et suos observabant; sed eorum ritus theatro

more, suos vero mystico cultu *) (ibid. p. 137):
 Item: "Postquam autem sanguinarius ille
 (Carbeas) execrabilis homo longis tempori-
 bus intolerabilia perpetrasset, sero tandem
 et vix ægritudine consumtus periit" (ibid.
 p. 138).

De Chrysochère, Carbeæ successore,
 consobrino et genero narrat Gibbonius (l. c.
 p. 72—74) ex auctoritate Genesii (Chron.
 p. 67—70 Ed. Venet.) et Constantini Porphy-
 rogenetis (Vita Basilii, avi sui, C. 37—43
 p. 166—171), ejus virtutem et gloriæ avidi-
 tatem, majorem adhuc ambitum rapinæ atque
 vindictæ complexas fuisse, quam prædeces-
 sorum ejus. Saracenis conjunctus in viscera
 Asiæ penetravit, Nicæam, Nicomediam, An-
 cyram, Ephesum populatus est, simulacra et
 reliquias ubiqve devastavit, Basilioqve (1mo
 Macedoni An. 867—886) ad pacem petendam
 coacto arroganter respondit: "si pacem vellet,
 Orientem sibi cederet, intactus Occidenti
 imperaret, sin minus, imperio a servis Do-

*) Sensus est: Saracenorum instituta eos publice et in
 conspectu aliorum, domesticâ vero clam et occulte sec-
 tatos esse. Wolfii Not. (I) l. c.

mini privaretur." Provocationem accepit Imperator; terram Paulicianorum patentem devastavit, jus talionis exercens, et, obsidione Tephricæ, propter robur loci, ommissa, tandem prælio ad Bathyricum commisso inter Chrysochærem Amero conjunctum ex una, et Petronam supra memoratum ex altera parte, cæsus fuit Chrysochæres a Puladè quodam, illius quondam captivo, et caput ejus abscissum Basilio allatum, ab hoc sagittis tribus perforatum est.

Cum hoc viro fortissimo marcescit omnino gloria Paulicianorum (*συνάπτεμα γάρ ἄνθη πᾶσα ἡ ἀνθρώπου τῆς Τεφρικῆς εὐανδρία* Cedrenus). Expeditione 2da occupavit Imperator Tephricam a Paulicianis relictam, et horum alii gratiam implorarunt, alii ad fines evaserunt. Magna pars tamen in montibus refugium quæsierunt, exinde in fines Romanorum sæpius incursantes, sese suamque libertatem per sæculum et amplius sustinuerunt.

Ao. 970 colonia Paulicianorum, jam a Constantino Copronymo medio sæculi 8vi ex urbibus Melitina atque Theodosiopoli Con-

stantinopolin et in Thraciam translatis*), aucta fuit magno incremento fratrum fidei; quos Joannes Tzimisces (Ao. 970—76) ab illis Chalybum quas prius obtinebant sedibus, Philippopolin transtulit, non modo querelis et precibus Theodori commotus, quem Pontificatui Antiochiæ præposuerat, sed etiam rationibus politicis ductus, nempe ut animos ad rebellandum pronos melius contineret, regnoque forte contra Scytas aliasque feras gentes præsidium pararet **).

Hic terminatur historia Paulicianorum Orientalium. Superest

IV.

Ut *Propagationem hujus sectæ per Europam* usque ad res Ecclesiæ Christianæ reformatas strictim recenseamus et viam, quam sequuta est, adumbratam et quasi punctis minutis notatam describamus.

*) Cedreni Comp. Ed. Venet. p. 463, qui reddidit Annales Theophanis. Gibbon l. c. Not. 21.

***) Vid. Zonaræ Annal. T. 2. p. 209 Ed. Paris; Annæ Comnenæ Alexias Ed. Reg. Paris. 1681 p. 451.

Philippopoli plus quam centum annos degerunt Pauliciani, jure colendi Sacra suo modo gavisi, et se, dum liberaliter habebantur, fortissimos regni defensores præbuerunt, catenam urbium et castellorum Macedoniae et Epiri præcipue tenentes. Sub Alexio Comneno 2500 homines sectæ, profugi ex prælio contra Normannos (sub Roberto Qviscardo 1081—85), pristinam patriam adierunt. Philippopoli cedere nunc cogebantur, et reduces, qui hæresin renunciabant, Alexiopolin s. Neocastrum prope Philippopolin translati sunt *). Successores Paulicianorum Philippopoli adhuc existere docet *Ἐγχειρίδιον Κωνσταντίνου* supra allatum Pag. 27 §. 18:

Οἱ ἐγκάτοικοι ταύτης τῆς πόλεως (Φιλιππουπόλεως) εἰσὶ πέντε γένη, Τῆρκοι, Χριστιανοὶ τῆ ἀνατολικῆ δόγματος, οἵτινες καὶ Ῥωμαῖοι καλεῖνται, Ἀρμένιοι, Μανιχαῖοι, ἤγουν οἱ κοινῶς λεγόμενοι Παυλικιάνοι ἀπὸ Παύλου καὶ Ἰωάννου τῶν υἱῶν Καλλινίκου **),

*) Gibbonius l. c. p. 74 sq. Annæ Comnenæ Alexiad. p. 457.

***) Οὔτοι οἱ Παυλικιάνοι πρότερον κατόικον εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τοῖς ὁρίοις τῆς Ἀρμενίας, καὶ ὁ βασιλεὺς Ἰωάννης ὁ Τσιμισχῆς μετήνεγκεν αὐτοὺς ἀπὸ Ἀσίας, καὶ κατόικισεν εἰς

καὶ Ἑβραῖοι ἕς πάντας εἴ τις εἰς δεκαπέντε διέλοι μέρη, τὰ μὲν ἑνδεκά εἰσι Τῆρκοι, τρία δὲ ἀνατολικοὶ χριστιανοί, ἤγουν Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ λοιπὸν ἐν συμπληρῶσι τὰ λοιπὰ τρία γένη, οἱ Παυλικιάνοι, καὶ Ἑβραῖοι, ὧν ἕκαστος τὴν ἰδίαν προφέρει διάλεκτον οἶον, οἱ μὲν Τῆρκοι τὴν τερκικὴν, οἱ Ῥωμαῖοι τὴν ἀπλὴν ἑλληνικὴν, οἱ Ἑβραῖοι τὴν ἑβραϊκὴν, οἱ δὲ Παυλικιάνοι τὴν σλαβονικὴν, ἥτοι τὴν βελγαρικὴν.

Ibidem Pag. 39 §. λ'. Πλησίον τῶν Θερμῶν, ἥτοι τῶν Διτσῶν πρὸς Φιλιππόπολιν ἐρχομένους τινὸς, εἰσὶ πέντε ἢ ἕξ χωρία, τὰ μὲν ὑπὸ Παυλικιάνων μόνον οἰκόμενα, τὰ δὲ εἰσὶν ἀναμεμιγμένα ὑπὸ Παυλικιάνων καὶ ἀνατολικῶν Χριστιανῶν.

Ceterum miror, Auctorem hunc, qui Philippopolin et provinciam huic adjacentem accurate descripsit, nullam mentionem fecisse Alexiopolis supra memoratae. Forsan πεδίον

τὴν Ἐπαρχίαν Φιλιπποπόλεως, καὶ ἐκ ταύτης τῆς Ἐπαρχίας διεσπάρησαν καὶ εἰς ἄλλα μέρη τῆς εὐρωπαϊκῆς Τυρκίας τὰ νῦν δὲ ἐκ ἀκολουθεῖσι τῷ δόγματι τῶν Μανιχαίων, ὑποσυρέντες πρὸ χρόνων τῷ δόγματι τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας, καὶ κατ' ὅλην εἰσι Παπίσαι. (Quantum mutati ab illis).

in occidentali parte urbis, in quo quadrilatera æqualis magnitudinis, quæ appellantur Turcæ *Saragi* s. Παλάτιον, §. β' p. 22 commemorata, huc pertinent.

Iam Ao. 1040 Paulicianos in Italia meridionali apparuisse, ubi haud dubie ex Epiro per Mare Adriaticum ingressi sunt, ostendit Muratorius l. c. T. V. p. 256. Maturius adhuc Bulgaris, qui Ao. 847 (Raderus Ao. 845, rectius Ao. 866) christianam disciplinam amplexi sunt, conjuncti fuere, et jam forsam dum adhuc Armeniam inhabitabant. Hoc colligere licet ex monitis et adhortationibus, quibus P. Sicutus Archiepiscopus Bulgarorum tunc jam designatum, sed ab eo non nuncupatum, pro oemio historiæ suæ instruxit contra Manichæos. Moshemius quoque (Instit. p. 327) memorat transitionem eorum ex Thracia in Bulgariam et Slavoniam, itidem ex Bulgaria in Italiam, et hinc in alias terras Europæ. Pro certo scimus, eos initio Sæculi 13tii (Ao. 1213) habuisse Papam vel potius Antipapam Bartholomæum in finibus Bulgariæ, Croatiae et Dalmatiæ (Fueslin l. c. 2. Bd. p. 219. Hallam l. c. p. 653). Imo vero eos jam initio XIImi Sæc. evagatos esse ad Italiam septentrionalem et

Galliam meridionalem, indicant vestigia Paulicianismi, quæ jam regnante Roberto Ao. 1007 in regione Aureliana videbantur. (Hallam l. c. p. 652). Denominatio Boulgres, Bôngres, quæ prius insigniebantur quam Patarini s. Patellini, Cathari (corrupte Gazari) Publicani aliisque appellationibus vocati sunt, huc quoque trahi potest.

Disciplina Paulicianorum tanto magis ex Thracia et Bulgaria in regiones occidentales christianæ doctrinæ deditas clam se propagare potuit propter commercium, quod inter has regiones et Constantinopolin intercedebat per Danubium. Inde communicatio sustinebatur cum Paulicianis, qui versus fluvium per Hungariam et Bavariam et, opportunitate data, in Lombardiam, Helvetiam et Galliam ducebantur (Hallam l. c. p. 652). Confirmant hoc quoque Chronica mspta quædam Abbatiae Corbejæ ex XII Sæculo, ut apparet, (Plantas Gesch. der Schweiz S. 93, 4te Ausg.

Postquam Hungaria ad Christi Disciplinam conversa fuisset, peregrinantes, qui juxta Danubium iter facientes, Hierosolyma tendebant, abitu et domum reditu, facile cum Paulicianis sociari potuerunt. Nec

minus forsā Venetum cum oris Adriatici maris commercium; hujusque reipublicæ liberalis receptio extraneorum cujusumque regionis et disciplinæ, adjuverunt progressus sectæ per Italiam septentrionalem terrasque adjacentes (Gibbon l. c. p. 77 sp). Mediolani in primis sedem fixit secta. Ex Limbróchio quoque elucet, Paulicianos primum insedisse Itliam superiorem et inde evagatos esse in Galliam; jamque Ao. 1159 Britanniam adiisse (Gueslin 1 Th. p. 100. Hallam p. 659).

In Cruciata (v. bello inquisitionis), quæ ab initio ad medium Sæc. 13tū gerebatur contra Manichæos, ut dicebantur, nomen illis Albigenis dabatur, qui, licet a Waldensibus quoad formulas et doctrinas dissentirent, tamen in odio et oppositione contra Romano-Catholicorum placita, ritus et mores una faciebant (Gueslin 1 Th. 4te 5te Cap. Hallam p. 654). Hoc bello peracto Indies se per Helvetiam, Hispaniam, Belgium, Germaniam propagarunt. Imo, jam initio 13 Sæc. Valdenses Metis, et in urbe et in provincia, flourisse, et Sacræ Scripturæ promulgationem et lectionem procurasse, patet ex epistola

Innocentii III ad Episcopum Metarum (opera Innocentii III p. 468. et 537).

A Medio Sæc. XIIIte nomen Albigensium rarius auditur, nominiqve Waldensium cedit; illis tamen mulierem quendam hæreticam ex Bohemia ortam, nomine Gvilielminam, quæ Mediolani multos sibi assecclas acquisiverat et Ao. 1300 ibd. rogo viva cremata fuit, adnumerare videtur Muratorius (Tom. V. p. 91 cf. Moshemium Instit. p. 485). Post medium illius sæculi evanuerunt quoque paulatim placita Manichæo-Gnostica, dum aversatio in ecclesiam regnantem per utrumque proxime insequens sæculum sæpius elucescit apud Waldenses imprimis, quorum maxima pars in Bohemiam confugerunt, ubi secta quædam hujus nominis Ladislao regi Posthumo Confessionem fidei suæ obtulerunt.

Ut Wicklefius in Brittannia jam Sæc. XIV viam straverat disciplinæ meliori evāgelicæ, sic etiam Waldenses, Paulicianismi depurati propago, in Bohemiam profugi unacum suis sociis Hussitis, Calixtinis, Taboritis ceterisque, præcursores fuere Zwinglii et Lutheri et sacrorum per hos emendatorum.

E r r a t a.

- Pag. I Lin. 16 Romanos-Catholicos *l.* Romano-Catholicos
- 2 - 2 edita *l.* editæ
 - 3 - 10 incunabilis *l.* incunabulis
 - 6 - 2 Ao. deleatur
 - 6 - 11 oculatus *l.* oculus
 - 7 - 12 Seculo *l.* Siculo
 - 7 - 16 enarrando *l.* enarranda
 - 7 - 26 Coistin *l.* Coislin.
 - 9 - 20 Phanaria *l.* Phanariæ
 - 10 - 6 recentiore *l.* a recentiore
 - - - 2 *not.* * Παυλικιάνων *l.* Παυλικιανῶν
 - 11 - 5 *not.* Photio *l.* a Photio
 - - - 8 post eos deleatur (,)
 - 15 - 3 Caliniciis *l.* Callinices
 - - - 13 agatur *l.* agetur
 - - - 15 Cibossam *l.* Cibossæ
 - - - 23 Neocæsarcam *l.* Neocæsaream
 - 16 - 16 justus *l.* Justus
 - 18 - 7 successorem *l.* Heraclii successorem
 - 19 - 8 aduri *l.* adduci
 - 20 - 2 circeter *l.* circiter
 - - - 16 inseivutus *l.* inseiventibus
 - - - 17 evadit *l.* evasit.
 - 21 - 8 Chricoraces *l.* Cricoraches
 - 22 - 7 proles *l.* proles sit.
 - 25 - 6 Adanis *l.* Adamo
 - 26 - 4 *not.* ** Luodienorum *l.* Laodicenorum
 - 28 - 3 captiritatem *l.* captivitatem
 - 43 - 7 *a fine:* Tolli *l.* Tollii
 - 49 - 9 videtur. Specimen *l.* videtur Specimen
 - 50 - 5 *a fine:* qui corpus dei dicit. *l.* qui corpus dei dicat, cæt.
 - 54 - 6 experte *l.* experto
 - 55 - 4 *a fine:* pone comma post parenthesis
 - 57 - 8 nupcr. *l.* supra p. 13.
 - 62 - 2 *a fine:* ant *l.* aut
 - 68 - 4 *a fine:* usqva *l.* usqve
 - 73 - 3 cujusumqve *l.* cujuscunqve
 - - - 7 Limbrochio *l.* Limborchio
-

UNIVERSITY OF CHICAGO



43 057 707

UNIVERSITY OF CHICAGO



43 057 707